Pindar

Rauchenstein, Rudolf

Commentationum Pindaricum

Pts.1-2.

Pindar

COMMENTATIONUM PINDARICARUM

PARTICULA PRIMA.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS RAUCHENSTEIN,
PHIL. DR. GYMNAS. ARGOV. PROF. ET H. T. RECTOR.

ARGOVIÆ
APUD H. R. SAUERLÆNDER.

MDCCCXLIV.

PRÆMONENDA.

Editionem Schneidewini ne nunc quidem accepi. Non poterat autem hæc scriptio diutius distineri vel retardari, quia programmati scholastico destinata erat. Perscripta iam erant omnia et ultimæ plagulæ prelo subiiciebantur, quum nactus sum Ephemerides literarias Ienenses, mens. Decembr. 1843, in quibus Schneidewinus de C. L. Kayseri lectionibus Pindaricis et de Heimsoethii addendis censuram egit, qua plurimos utriusque libelli locos tractavit. Hinc saltem licuit cognoscere, quid Schneidewinus de multis Pindari locis statueret, sæpius, ut fit in eius generis scriptionibus, quid nollet, quam quid vellet. Acerbius mihi quidem visus est nonnunquam de Kayseri libro iudicare, sed tamen multa rectissime reprehendere et reprobare. Habet igitur me assentientem in multis non solum ex iis, quæ hic tractavi, sed eorum quoque, quæ diu perscripta expromere nunc nolui, minime autem in omnibus. In quibus dissentiam, partim ex hac scriptione poterit cognosci, partim alibi dicam. Quodsi Schneidewini censuram antequam scriberem legere contigisset, pauca me puto mutaturum, nonnulla fortasse ut ab illo viro docto satis tractata resecturum vel omissurum fuisse. Mutare nunc nec poteram nec volebam. Verum ne quid omittam, quod lectoribus huius libelli scire gratum sit, hæc adnotabo. In eandem coniecturam semel tantum incidimus J. VII, 47. *ἄνακτε*, de qua nunc magis confido, quum ante dubitantius loquerer. Gratum porro fuit, quod P. I, 52. *μετανάσσοντας* viro doctum probari viderem. Nonnunquam aliorum coniecturas iisdem fere rationibus refutavimus, ut N. IX, 7. J. II, 12, aut similibus, ut P. II, 82. *ἄταν*. III, 4. *λῆμ'*. N. V, 6. *παντὶ μύθῳ*. al. Novam et veram rationem, cur J. III, 63. *λεόντων* retineretur, addidit, quippe

cui oppositum esset ἀλώπηξ. Quod O. IV, 24 ante ταχύταγι interpungi prorsus vetat V. D., ego dubitare me confiteor. Non mihi cum eo O. VII, 49 de structura participii νικῶντ' convenit, nec de retinenda Hermanni coniectura ἀνάσσων O. XIII, 107. Parum probabilis mihi videtur Schneidewini coniectura P. II, 36. καὶ τὸν ἑλόντ'. Non adeo improbanda post ea, quæ idem V. D. dixit, P. III, 106 videtur Hermanni emendatio ἄσπετος, quamvis dubia res sit. P. IV, 70, 71 Schneidewinus Heimsoethii interpretationem probavit, mihi non persuasit. Iniuria reiecit idem J. II. 12. ἀγνῶτι. Sed hæc quidem hactenus. — p. 4 legendum δεδαιγμένον. p. 24 operæ non paruerunt identidem corrigenti: Heimsoethium. p. 25 l. 18 pro: adaptat leg. accommodat.

Scripsi Aroviæ pr. Id. Mart.

Sæpe adstans et contemplans admiratus sum artem et patriam et perantiquam virorum nostratium et adolescentium, qua in publico conventu certant inter se globulis missilibus ex tubo ignivomo cum fragore coniiciendis scopum petentes. Nimirum in vulgus notum est, quam egregie tractent populares nostri nobilem huius seculi artem iaculatoriam, viris fortibus utique dignissimam, qua et in pace et in otio cum decore oblectationem quærant, et si quod bellum, quod dii avertant', inciderit, ad terrorem cum strage hostibus incutiendum sint paratissimi ac promptissimi. Nec tamen ea virtus sine multo labore cuiquam contingit, sed longa exercitatione sapientique et assidua teli tractatione opus est, ut insignioribus iaculatoribus adnumerere. In ipso autem ludo ac certamine quam caute omnia ante explorantur, quam circumspecte et in magna ac trepidante hominum spectantium, huc illuc discurrentium, frequentia quam tranquille omnia aguntur. Nam exacta curiose ad suum cuique modulum et ingesta in tubum accurate quasi fulminis materia missilique plumbeo diligenter superimposito posteaque intruso, ubi cuncta parata et provisa sunt, quum ad rem ipsam denique prodeunt, videas eos primum stantes in gradu immobiles, æneos dicas vel saxeos, firmissimis brachiis, dum acie oculorum collineant, protentum tenentes telum, adeo immotos et intrepidos, ut vix spiritus meatum inesse credas, donec tandem tacto levissima digiti inclinatione pessulo, seu ligulam seu acum dicere mavis, rumpitur subito inclusus tubo ingens impetus, proruit ac sagitta celerius, immo vero fulminis ictui et fragore et celeritate similius, ad scopum volat percutiens alteque penetrans illud missile. Et paucissimi quidem ex tanto certantium numero coniecti plane aberrant globuli, longe plurimi feriunt scopum, ex quibus permulti in interiorem, cuius radius ultra tres transversos digitos non extenditur, orbem incidunt, testantes, quum id ab eodem assidue fit, insignem iaculatoris artem et peritiam. Sed ex iis, qui in circulum interiorem coniecti sunt, alter altero accidit ad clavulum in medio orbe fixum propius, quibus iam satis beantur ii, ex quorum tubis proiecti sunt. Quum quis autem clavulum ipsum vel centrum attigerit aut ex parte strinxerit; id autem vel procul cognoscitur ex mirificis quibusdam significationibus, gestuum vehementia, brachiorum pedumque coniectu vario, saltibus denique insanis alicuius modo humum se prosternentis volventisque modo exsilientis et tripudientis super tanta scilicet fortuna hominis, qui veste purpurea indutus, tecto muroque tutus, prope scopum adstat, monstraturus, qua quisque globulus orbem ligneum perforaverit, idque accurate rursus in orbem ad id datum chartaceum relaturus; sic quum quis ferierit, enimvero tunc ingentes oriuntur plausus et clamores undequaque eduntur lætissimi et consequuntur gratulationes amicorum et artis peritorum et omnino multorum accurrentium, quippe cui iam victoriæ clarissima palma sine dubio porrigatur. Sed fit nonnunquam, ut aliquis

globulum suum in centrum ipsum sic immittat, ut id medium contegatur et prorsus obruatur, quo quidem perfectius in ea arte fieri nihil potest. Iam eum casum quanti clamores, quanti tumultus sequantur frustra sit qui dicere velit. Simile fere est illi, quod Pindarus cecinit O. IX. 91 sqq. de Epharmosto Opuntio iuvene pæne imberbi, qui in ludo Marathonio viros barbatos luctatione vicit phialamque argenteam abstulit præmium:

φῶτας δ' ὀξυρεπεῖ δόλῳ
ἀπτῶτι δαμάσσαις
διήρχετο κύκλον ὅσσᾳ βοᾷ
ὡραῖος ἐὼν καὶ καλὸς κάλλιστά τε ῥέξαις.

Quanquam id quod dixi raro fit nec fere a quoquam, nisi cuius artem insignem etiam fortuna eximia adiuverit. Magnus autem honos habetur etiam iis, qui vel leviter tetigerunt id, quod omnium expetitur studio; nec profecto sine gloria præmiove discedunt, qui aut proxime accesserunt aut quorum saltem in orbe interiore una alterave hæret nota. Itaque coronati lætique ab amicorum comitantium et ovantium caterva domum deducuntur. Illi autem silentio fere transmittuntur, quorum ictus extra orbem interiorem manserunt, quales satis multi esse solent. Sunt enim ii, de quibus rursus Pindarus P. IX. 83 sqq.

τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς
ἔπαλπνος ἐν Πυθιάδι κρίθη,
οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρ' ἀμφὶ γέλως γλυκὺς
ὦρσεν χάριν· κατὰ λαύρας δ' ἐχθρῶν ἀπάοροι
πτώσσοντι, συμφορᾷ δεδαϊγμένοι.

Verum ab æquis rei existimatoribus etiam illis tribuitur laus, quod periculum fortiter fecerunt. *τῶν ἀπειράτων γὰρ ἄγνωστοι σιωπαί.* J. III. 48. Nec vero dedecori est; quia etsi adsit artis experientia, nihil efficiatur, si desit fortuna, cui non imperatur, sed quæ imperat ipsa. Quanquam non negaverim valere etiam in ea arte vetus illud:

πολλοὶ μὲν γὰρ θυρσοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.

Verum quorsum ista? Quo pertinet ea ludorum certaminumque campestrium descriptio in sermone, qui de ludo literario aut de doctrina aliqua umbratili instituendus erat? Nempe similis obtinet ei, quam dixi, fortunæ casuumque varietas etiam in arte critica et in interpretatione scriptorum veterum. Nam vel versatissimos in lectione alicuius scriptoris neque eos parum instructos a doctrinæ varietate tamen interdum destituit coniectandi fortuna, sine qua fieri non potest, ut quis verum plane certoque assequatur. Itaque veritati proximum fuisse ut satis honestum manet, sic danda venia iis, qui non prorsus a vero aberraverint. Versamur enim in eo negotio, quod non unius alteriusve hominis opera, sed multorum et hominum et seculorum ingeniis conficiendum sit. Versamur in arte, qua non brevis singulorum oblectatio, non fragilis aliqua gloriola, nec plausus nec clamor, sed veritas laboriose quæritur in communem omnium usum semper duratura. Quam ad rem ut plurimi invitentur æquum est, neve quisquam absterreatur propter successum operis minus prosperum, modo strenue elaboraverit. Prodibit enim post alium alius, aliquantulo ad verum propius accedet, fortasse etiam recedet, hunc rursus superabit successor felicior. Sic paullatim et lente et singulis tantum in locis, at promovetur tamen opus universum, et coniunctis viribus bonum commune parandum augendum defendendum est.

Quæ hucusque præfatus sum, ea in meum quoque usum converti velim. Quamvis enim a viris et doctrina et ingenio præstantissimis, quorum ordinem longum*) enumerare nunc quidem nihil attinet, plurima in Pindaro correcta sint et explanata, restant tamen et diu restabunt multa, quæ aut emendatorem aut interpretem postulant. Iam quum anno superiore *Introductionem in Pindari epinicia germanice scriptam***) ederem, paucos quidem locos, in quibus mihi discedendum videretur a virorum doctorum sententiis, breviter attigi, plures autem, in quibus vel de lectione, vel de verborum interpretatione, vel de sententiis, vel de rebus dissentiendum erat, intactos relinquere libri ratio et consilium me tunc jusserat. Quorum nunc delectum exhibebimus, ita ut de iis potissimum locis disseramus, qui emendatione egere videantur, alios autem et præsertim eos, in quibus de interpretatione agitur, in aliud tempus reservemus. Sed ex quo introductionem meam in publicum emisi, prodiit interim corpus lyricorum græcorum Theodori Bergkii cura editum. Quem librum ut evolvi, statim etiam de Pindaro virum doctissimum sensi præclare esse meritum, quæ sententia confirmata et aucta est iterata diligenter eius libri lectione. Etenim multos locos docte feliciterque restitutos vel ex coniectura ingeniose emendatos reperi. Sunt autem etiam post curam viri præclari, in quibus adhuc hæream, sunt, quæ minus probentur, de quibus vel hic vel alibi dicam. De meis autem, quæ nunc proferam, ipse sic sentio, nonnulla esse certa, alia probabilia, nonnulla dubia, alia feliciorem post me coniectorem inventurum. Nam ut in principio diximus, contingit nonnunquam mediocribus quoque iaculatoribus, ut scopum medium feriant; sed iidem a peritioribus se vinci æquo animo patiuntur victosque sese ingenue fatentur. Verum age ad rem veniamus tractemusque, ut in quemque disputatio venerit, locos singulos, atque in iis nostram, si qua est, coniiciendi seu mavis iaculandi facultatem experiamur.

Pyth. I, 50 sqq. sermo est de victoria navali, quam prope Cumas Hiero Syracusanus de classe Etruscorum reportaverat, quum eius auxilium Cumani ab Etruscis pressi implorassent, id quod primus docuit Bœckhius. Sed quum Hiero illo tempore morbo laboraret, aptissime, sive ipse exercitui præfuit, sive per duces bellum administravit, comparatur ei Philoctetæ exemplum mythicum. Verba apud Bœckhium hæc leguntur:

νῦν γε μὰν τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων
ἐστρατεύθη· σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον
καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν. φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον μεταμείβοντας ἐλθεῖν
ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν·
ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρσεν κτέ.

E verbis *σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον, καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν* Bœckhius recte colligit, offensionis aliquid antea fuisse inter Cumanos et Hieronem, fortasse quia

*) Editionem Schneidewinianam ardenter mihi desideratam, quamvis ter quaterve, simulatque eam prodiisse ex librorum indicibus cognovi, bibliopolas nostros ut mihi cito mitterent hortarer et flagitarem adeo librum mihi præ omnibus nunc utilem futurum, tamen nescio quo me potissimum ludificante casu ne nunc quidem sum nactus, atque etiam hodie responsum tuli, ad nostræ saltem civitatis bibliopolas eum librum nondum pervenisse, quem medius fidius omnium iam philologorum manibus teri legerem apud Kayserum in censura Lyricorum Græcorum a Bergkio editorum inserta annalibus Heidelb. 1844 fasc. I.

**) Prodiit Aroviæ 1843 apud H. R. Sauerlænder.

Cumanorum magistratus insolentiorem se gesserit erga Syracusanorum principem. Possis propter ipsum Philoctetæ exemplum suspicari etiam graviorem alienationem inter eos fuisse. Iam verba *μιν φίλον ἔσανεν* sic explicat Dissen: *palpavit eum ut amicus esset*, sc. Hieronem. At incommodum est, quod sic ad Hieronem diserte refertur sententia, quæ generalis est, quum per eam transitus paretur ad commemorationem Philoctetæ ab Atridis et ab Ulixe, hominibus maxime invisis, ad belli societatem revocati. Ergo tollendum est *μιν*, quod fecit G. Hermannus scribens *σὺν δ' ἀναγκαίᾳ φίλον*, eumque sequutus est Bergkius. Verum *ἀνάγκᾳ* tuentur libri omnes, neque usquam apud Pindarum legitur illa substantivi forma *ἀναγκαία*, epicorum potius quam lyricorum propria. Quærendum potius vitium in *μιν*, quod facile tollitur, si mecum scribas *μή*; quo demum rectus efficitur sensus: *necessitate fit, ut etiam superbus aliquis blandiatur ei, qui amicus non sit.* Eaque sententia recte nunc media interposita est. Intelligitur enim, inter Hieronem et Philoctetam duplicem obtinere similitudinem, non solum propter victoriam, quæ utrique ægrotanti contigit, sed etiam quia gratiam utriusque ambire coacti sunt illi, qui antea insolentius in eos se gesserant.

Porro *φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον μεταμείβοντας ἐλθεῖν ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱόν* Bœckhius scripsit ex coniectura, nam libri contra metrum *μεταλλάσσοντας*. Wakefieldius voluit *μετανάσσοντας*, quod non displicuit Hermanno coniicienti *μέτα λάσοντας*. C. L. Kayserus mavult *μεταβάσοντας* coll. O. I, 42. Bergkius sequitur Bœckhium. In *μετανάσσοντας* ego quoque incideram prorsus ignarus coniecturæ Wakefieldianæ, eamque nunc magis etiam amplector. Nam *μεταλλάσσοντας* non e glossemate ortum videtur, sed ex prave lecta litera N in *μετανάσσοντας*. Cf. Bastii comment. palæogr. p. 723 et 726. Schæf. Sic *ἀλλὰ* ex *ἄνα* factum est O. XIII, 114. Ceterum vid. P. V, 67. (*Ἀπόλλων*) *Λακεδαίμονι ἐν Ἄργει τε καὶ ζαθέᾳ Πύλῳ ἔνασσεν ἀλκᾶντας Ἡρακλέος ἐκγόνους.*

Et in illo quidem loco erratum est propterea, quod sententiam generalem esse non viderunt; nunc exemplum erroris contrarii afferemus. Legitur enim P. II, 34 sqq. de Ixione nubem pro Iunone amplexo

Χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.
εὐναὶ δὲ παράτροποι ἐς κακότατ' ἀθρόαν
ἔβαλόν ποτε καὶ τὸν ἑκόντ'· ἐπεὶ νεφέλᾳ παρελέξατο
ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων, ἄϊδρις ἀνήρ.

Sic Bœckhius, Dissenius, Bergkius scripserunt ex Bothii coniectura, nam in libris est *ἔβαλον ποτὶ καὶ τὸν ἴκοντ'*. Non liquet autem, quid Heimsoethius voluerit asseverans: „Unum addo: „„ubi poëta descendit ad Ixionem, in v. 36., omnem lectionem falsam esse, in qua non legitur *καὶ τὸν* i. e. *καὶ τοῦτον*,““ nihil præterea addens. Contra recte vidit Kayserus, falsum esse *καὶ τὸν ἑκόντ'*, quia de aliis sua culpa miseris nondum locutus est Pindarus, sed de uno Ixione supra v. 29, neque Ixion malum sua sponte quæsivit, quum Iunonem tentaret. Desiderat igitur participium anapæstum efficiens, ex. gr. *καὶ φρονέοντ'*, *vel prudentem malæ libidines prodiderunt.* Sed hoc rursus displicet, primum quia statim *ἄϊδρις ἀνήρ* dicitur Ixion, deinde quia aliena hic est sapientiæ eius commemoratio. Est potius *ὑψιφρόνων τις* v. 51, quam *φρονεόντων*. Sed errasse vir doctus maxime in eo videtur, quia sententiam generalem esse voluit. Generalis enim sententia præcedit hæc: *Χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον*, qua immodicæ et nefariæ cupiditatis insimulatur Ixion. Iam vero ad ipsum Ixionem

flectitur oratio, significaturque genus intemperantiæ quod eum perdiderit. Quid multa? Scribendum duabus tantum ex librorum lectione mutatis literulis sic: *εὐναὶ δὲ παράτροποι ἐς κακόταἰ ἀνθρόαν ἔβαλον ποτὶ κοῖτον ἰόντ'*, *quum ad concubitum iret.* Pars inventi debetur Friderico Iacobsio, qui, ut apud Bœckhium annott. critt. legitur, coniecerat *ποτὶ κοῖτον ἵκων ἐπεὶ κτἑ.*

Rursus Heimsoethius, quod sane mireris, verba v. 30. *αἱ δύο δ' ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέθοντι* generalem sententiam continere dicit reliquosque interpretes, qui id non viderint, pæne temeritatis insimulat. Sed falsus est ipse. Nam *αἱ δύο ἀμλακίαι*, quæ statim commemorantur: *τὸ μὲν ἥρως ὅτι ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς, ὅτι τε Διὸς ἄκοιτιν ἐπειρᾶτο*, nullius alius esse neque in quemquam alium cadere possunt, nisi in Ixionem. Propterea etiam *αὐτῷ*, quod ad *τελέθοντι* suppleri posse Heimsoethius negat, a quovis lectore facile subintelligetur. Neque opus est, quod idem desideravit, *ἐγένοντο*, quippe perfectum inest in *τελέθοντι*, quæ nota res est.

Tangamus alium huius odæ locum, qui potius interpretatione, quam emendatione indiget. Vs. 82 describuntur homines fallaces, susurrones, adulatores, insidiosi: *ὅμως μὰν σαίνων ποτὶ πάντας ἀγὰν πάγχυ διαπλέκει.* Libri *ἄγαν*, Heynius coniecit *ἄταν*, Bœckhius reposuit *ἀγάν*. At *ἄταν* defendit contra Bœckhium Kayserus dicens *διαπλέκειν* verbum palæstricum parum convenire in caudam caninam. Præterea tautologiam quandam existere, si legatur *ἀγάν*. „Non enim potest (canis) adulari nisi flectens caudam. Nunc mecum *ἄταν* de luctu inextricabili intelliges.“ Sic Kayserus, qui recte animadvertit verbi *διαπλέκειν* usum palætricum recteque nos vetuit in locutione *ἀγὰν διαπλέκειν* cogitare de similitudine canis adulantis caudamque moventis. Verumtamen nihil mutandum, sed recte se habet *ἀγάν*, quod quum explicent glossatores veteres *σπεῖραν, ἀνάκλασιν, καμπήν*, usui palæstrico non minus convenire videtur, quam ipsum *διαπλέκειν*, modo intelligas eam flexuram, qua in luctatione adversarium supplantamus. Itaque sic fere accipiendus locus; *blande accedens ad omnes insidias omnino struit more supplantantium.*

Sed pergamus afferre locos alios, qui vel interpunctione, vel accentus, vel paucarum literarum mutatione emendari posse videantur.

Ol. VII, 49. poëta loquitur de donis, quæ Iupiter et Minerva Rhodiis dederint:

κείνοις ὁ μὲν ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν
πολὺν ὗσε χρυσόν· αὐτὰ δέ σφισιν ὤπασε τέχναν
— Γλαυκῶπις.

Sic legitur ex Mingarellii coniectura. Nam in libris est: *κείνοισι μὲν ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν Ζεύς.* Iam quum meliores libri omnes *Ζεύς* retineant, Kayserus suspicatur legendum esse

κείνοισι μὲν ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν
Χρυσὸν ὗσε Ζεύς· ἔπειτέν σφισιν ὤπασε κτἑ.

ut *υ* in *χρυσόν* corripiatur. Quod si necessarium sit, ut *Ζεύς* retineatur, possis facilius sic: *Ζεὺς τοῖσι μὲν ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν πολύν*, servata in reliquis librorum lectione. Sed verissimum vidit Mingarellius. *Ζεύς* enim glossatori debere apparet quum ex loco, in quo positum est, tum ex eo, quod talia in codd. addi solent, ut O. VIII, 16.

Ζηνὶ γενεθλίῳ· ἔκφαντόν σε μὲν ἐν Νεμέᾳ.

Sic enim scribendum ex præstantissima Kayseri coniectura. Illic autem supra *σὲ μέν*

in Pal. C. scriptum est *ὃς Ζεύς*. Et facile caremus O. VII. vocabulo *Ζεύς*. Nam si fuit in carmine *κείνοις ὁ μὲν — αὐτὰ δέ*, quivis e narrationis tenore intelligebat, esse Iovem et Minervam, quos poëta paullo ante significaverat v. 43. *πατρί τε θυμὸν ἰάναιεν κόρᾳ τ' ἐγχειβρόμῳ*. Et similiter O. VI, 81. *κεῖνος* (i. e. Mercurius) *σὺν βαρυγδούπῳ πατρὶ κραίνει σέθεν εὐτυχίαν*. Displicet denique in Kayseri coniectura *ἔπειτεν*, quo apta perit oppositio.

Vs. 83 sqq. eiusdem carminis iam in introd. p. 28. tetigi. Enumerantur victoriæ, quarum multitudinem Diagoras Rhodius pugil reportavit. Iam ea apud Bœckhium sic leguntur.

ὅ τ' ἐν Ἄργει Χαλκὸς ἔγνω μιν, τά τ' ἐν Ἀρκαδίᾳ
ἔργα καὶ Θήβαις, ἀγῶνές τ' ἔννομοι
Βοιώτιοι,
Πέλλανά τ'. Αἰγίνᾳ τε νικῶνθ' ἑξάκις· ἐν Μεγάροισίν τ' οὐχ ἕτερον λιθίνα
Ψᾶφος ἔχει λόγον.

Bœckhius iunxit *νικῶνθ'* cum *ἔγνω μιν*, quod durissimum esse iure contendit Kayserus, quia post *Πέλλανα* iterum exspectetur nominativus. Quum autem metrum nominativum *Αἴγινα* non admittat, sed postulet *Αἰγίνᾳ*, Kayserus poëtam existimat ad aliam structuram transiisse legendumque suspicatur: *Αἰγίνᾳ τε νικᾶν ἑξάκις ἐν Μεγάροισίν τ' οὐχ ἕτερον λιθίνα Ψᾶφος ἔχει λόγον*. Qua in ratione hoc unum non probandum est, quod contra libros scripsit *νικᾶν*. Rectissime se habet *νικῶνθ'*. Nam quum utrobique sexies vicerit, utrobique columna marmorea eius nomen contineat, quidni dixerit poëta: *Αἰγίνᾳ τε νικῶνθ' ἑξάκις, ἐν Μεγάροισίν τ' οὐχ ἕτερον λιθίνα ψᾶφος ἔχει λόγον*. quod plane idem est, ac si dixisset: *ἐν Αἰγίνᾳ μὲν νικῶντα ἑξάκις αὐτὸν λέγει λιθίνα ψᾶφος, ἑξάκις δὲ ἐν Μεγάροις*.

O. IX. 16. Propter Epharmosti Opuntii victorias claram Opuntem esse dicit Delphis et Olympiæ. Quæ vulgo legebantur: *θάλλει δ' ἀρεταῖσ' ἴσον τε Κασταλίᾳ παρ' Ἀλφειοῦ τε ῥέεθρον*, Bœckhius sic constituit:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν
ἔν τε Κασταλίᾳ παρὰ
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.

Sed trochæum *ἔν τε* a Bœckhio illatum merito reprehendit Kayserus, quum carminis ratio spondeum postulet; idem iure reprehendit *ἐν* notione propinquitatis de flumine dictum. Bergkius autem edidit *ἴσα τε*, in quo rursus metri legem coniectura parum observatam dicas. In codd. nihil auxilii, in quibus est *ἀρεταῖς ἴσον*, aut *ἴσσον*, aut *ἶσον* ut in Pal. C. Pindarus autem ubique *ἴσος*, nusquam *ἶσος*. Iam quum schol. habeat: *βρύει δὲ καὶ αὔξεται ταῖς ἀρεταῖς τῆς νίκης ἡ Ὀπποῦς ἔν τε τῇ Κασταλίᾳ πηγῇ ἐν Πυθοῖ καὶ ἐν ταῖς τοῦ Ἀλφειοῦ ποταμοῦ*, Kayserus suspicatus est, genuinam lectionem esse *κράναν*, itaque sic scripsit: *θάλλει δ' ἀρεταῖσι* || *κράναν Κασταλίας παρὰ* || *Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον*, probabili sane blandaque coniectura et a concinnitate membrorum admodum commendanda. Atque Pindarus ipse P. I, 39. *κράναν Κασταλίαν φιλέων*. Quid quod scholiastarum unus, quod Kayserus omisit commemorare: *θάλλει ταῖς ἀρεταῖς τῆς Κασταλίας, ἀντὶ τοῦ τῆς Πυθοῦς· κρήνη γάρ ἐστιν ἐν Πυθῶνι*. Nihilominus ego neque ab hoc neque ab alio scholiasta *κράναν* lectum esse putaverim. Nam illis, sicubi scribebant *Κασταλίαν*, in proclivi erat addere *πηγήν* aut *κρήνην*.

Afferam igitur, quid mihi de spondeo explendo videatur, nam vetustissima illa

videtur corruptela, omnium scholiorum librorumque ætate maior. Tamen libri, qui *ἀρεταῖς ἴσσον, ἀρεταῖς ἶσον, ἀρεταῖς ἴσ σον* præbent, fontem erroris produnt, qui in *διττογραφίᾳ* positus est, quum pars literarum in *ἀρεταῖσιν* iteraretur. Nam fac scriptum fuisse, quod verum esse suspicor:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν
αἰεὶ Κασταλίαν παρὰ
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον,

facile perspicitur, vocabulum *αἰεί*, quod ad sensum non prorsus necessarium erat, cessisse literulis *ισιν* per dittographiam illatis. Quæ quum semel locum occupassent, *ἴσον* inde factum genuit dativum *Κασταλίᾳ*. Denique *αἰεί* ne otiosum videatur cf. O. VIII, 10. *μέγα τοι κλέος αἰεί*. J. III, 22. *αἴσι Κλεωνυμίδαι θάλλοντες αἰεί*, et ne plura afferam, P. VI, 5—14, unde discimus gloriam his victoriis paratam æternam semperque florere visam esse.

O. XIII, 106 sqq. Laudatur victoriarum, quæ Xenophonti Corinthio contigerint, multitudo. Antiqua lectio fuit:

ἐν Ἄργεΐ θ' ὅσσα καὶ ἐν Θήβαις ὅσα τ' Ἄρκασιν ἀνάσσων
μαρτυρήσει Λυκαίου βωμὸς ἄναξ.

Eam ingeniose mutavit Hermannus scribens *Ἀρκὰς ἀνάσσων*, quanquam recte monuerunt viri docti, locum ab Hermanno allatum N. VIII, 40. *αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις, ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει* esse dissimilem. Ego autem, quum Hermanni emendationem non ex illius libro, sed ex aliorum commemoratione noscerem, aliter atque Hermannus emendationem ipsius intellexeram, non de monte in altitudinem surgente, sed, quod non minus poëticum videbatur, de fumo ex ara in monte alto collocata, in qua Xenophon propter victoriam sacra fecisset, in aërem surgente. Etsi enim *aram surgentem* pro *fumo ex ara surgente* paullo audacius dici sentiebam, tamen eo loco non indigna videbatur audacia. Conferebam præterea Hom. Od. X, 99. *καπνὸν ἀπὸ χθονὸς ἀΐσσοντα*. Nunc autem libenter concedo in Kayseri sententiam, *ἀνάσσων* interpretamentum esse dicentis vocabuli *ἄναξ* et scribentis *ὅσα τ' Ἄρκασιν ἄθλοις*. Cuius inventi laudibus nihil detractum velim, si hoc leviusculum addam, pro *ἄθλοις* ponendum videri *ἔργα*, cuius aliqua saltem auctoritas sit e schol. verbis: *μαρτυρήσει τὰ ἔργα αὐτοῦ ὁ βωμὸς τοῦ Λυκαίου Διὸς ὁ ἄναξ ὁ ἐν Ἀρκαδίᾳ*.

O. XIV. pr. invocantur Gratiæ. Leguntur autem v. 5 sqq. hæc:

κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι. σὺν ὔμμιν γὰρ τά τε τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκέα γίγνεται πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ.
οὔτε γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ
κοιρανέοντι χοροὺς οὔτε δαῖτας.

κοιρανέοντι e codd. Bergkius recte restituit. Sed disputandum erit de versu penultimo, cui qui in antistr. respondet, quum in codd. sic legatur: *σεῦ ἕκατι. μελαντειχέα νῦν δόμον*, quod non debebat in *μελανοτειχέα* mutari, Kaysero responsio melius restitui visa est, si in stropha legatur: *οὔτε γὰρ θεοὶ ἁγνᾶν Χαρίτων ἄτερ*. Quæ facilis quidem est correctio. Verum incommodum manet *γάρ*, quo obscuratur sententiarum coniunctio, quæ hæc esse debet: Audite Gratiæ. Nam vobiscum omnia iucunda eveniunt *mortalibus. Ac ne divi quidem* sine Gratiis habent choros nec convivia. Conieccrim igitur: *οὐδὲ θεοί ποτε σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ*. Contrahendum *θεοί*.

In Pyth. III post Hermanni et Kayseri curas pauca relicta sunt, quæ emendatione egeant. Vs. 5 autem nescio an ferri debeat *νόον* aut contractum, ut Bœckhius scripsit *νοῦν*, aut una syllaba pronunciandum, etsi exempla Pindarica desunt. Hermanno *γνῶμ'*, Kaysero *λῆμ'* placuit. *νόον* autem ipsum in *νόον ἔχοντ' ἀνδρῶν φίλον* tam simplex est tamque conveniens sententiæ, ut ægre ab eo discedas. Verum in v. 104 sqq., de quibus iam in introd. p. 40. dictum est, paullisper subsistendum erit:

ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοαὶ
ὑψιπετᾶν ἀνέμων· ὄλβος ἀνδρῶν ἐς μακρὸν
οὐκ ἔρχεται
ὃς πολὺς εὖτ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπηται.

Verbis sic ad Hermanni rationem ut debent transpositis quæritur, quid statuatur de vocabulis *ὃς πολύς*, quæ defendi posse iure Kayserus negat. Iam Hermanni et Bergkii *ἄσπετος* proxime accedit non literarum quidem sed significationis similitudine. Contra recte Kayserus animadvertit, epitheta nova copiam divitiarum significantia hic ferri non posse, quum statim sequatur *ἐπιβρίσαις*, nec tamen ipsius placet inventum *θεύμορος*. Nimirum videtur aliquid desiderari, quod humanarum rerum imbecillitatis et fragilitatis nos admoneat quodque respondeat iis, quæ v. 86. dicuntur: *αἰὼν δ' ἀσφαλὴς οὐκ ἔγεντ' οὔτ' Αἰακίδᾳ παρὰ Πηλεῖ οὔτε παρ' ἀντιθέῳ Κάδμῳ.* Quamobrem scripserim vocabulo usus, quod propter soni simitudinem in *ὃς πολύς* facile abire poterat, et transposito vocabulo uno:

ὄλβος ἀνδρῶν ἐς μακρὸν
οὐκ ἀσφαλὴς
ἔρχεται, εὖτ' ἂν ἐπιβρίσαις ἕπηται.

Nam fortunam nimiam maxime inconstantem veteribus visam notum est.

De P. IV, 70. 71. dicendum hic est, quia in introd. p. 104. brevius de eo loco egimus. De Argonautarum expeditione dicturus poëta sic incipit: *τίς γὰρ ἀρχὰ δέξατο ναυτιλίας; τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις;* Recte Heimsoethius priorum interpretum explicationes reprehendit, in quarum numero est etiam ea, quam Dissenius probaverat, nec tamen satisfacit Heimsoethii sententia: „Poëta tanquam „mirabundus hic de periculo dicit, quod alibi de illecebris dixeris. Hoc sensu: quodnam, „inquit, fuit periculum, quod eos (non deterruit, sed) strictissimis vinculis vinxit?“ Sic Heimsoeth. At ea sententia potius poëtas res equitum et heroum medii ævi tractantes quam Pindarum deceat. Simplicissimum est, quod Pindarus voluit. Expositurus de rebus Argonautarum commode rem sic instituit, ut causam tantæ navigationis et magnitudinem certaminum et periculorum subeundorum se polliceatur narraturum; idque facit præfationis loco duabus interrogationibus narrationi præfixis, primum quæ fuerit causa navigationis, de qua exponit hinc usque ad v. 167; deinde, interiectis iis, quæ pertinebant ad apparatum expeditionis describendum, a v. 207 inde usque ad v. 246 etiam quæ quantaque pericula fuerint refert. Ingentia autem pericula quum sint ea, ex quibus vix ulla arte viriumque contentione te expedias, aptissime dixit pericula, quæ clavis plus quam ferreis vinciant. Nec cogitandum hic cum interpretibus vel de periculo imminente Iasoni, nisi hanc expeditionem susciperet, vel de periculo fato illi iniuncto, vel de periculo Peliæ imminente, si Iason recusaret; sed de tali tantoque, quod effugere non possis.

Obiter moneo, v. 126. *ταχέως δ' Ἄδματος ἷκεν καὶ Μέλαμπος εὐμενέοντες*

ἀνεψιόν, comma post *Μέλαμπος* vulgo positum tollendum, ut sustulit Bergkius, et *ἀνεψιόν* cum *ἵκεν*, non cum *εὐμενέοντες* iungendum esse, quod verbum significationem activam non recipit.

Non alienum erit, quum in interpretationem delati simus, dicere etiam de v. 263. *γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν*, cuius loci sententiam ab interpretibus audacia necessaria destitutis non intellectam esse pronunciat Heimsoeth. Ipse sic explicat: „Poëta nunc *Οἰδιπόδα σοφίαν* liberiore dictione appellat *σοφίαν*, qualis Oedipo prononebatur, h. e. cuius sensus divinatione intelligendus est.“ Permirum id esse dicas. Immo verba *Οἰδιπόδα σοφία* nihil aliud significant, quam sapientiam Oedipi. Iubetur Arcesilaus habere sapientiam, qualem habuerit Oedipus in ænigmatis solvendis. Quare poëta ænigma propositurus sic pergit: *εἰ γάρ τις κτέ.* Significat autem *γνῶθι* nunc non *cognosce*, sed *sape*, ac si dixerit *ἴσθι νῦν σοφὸς*, vel *φρόνει νῦν τὴν Ὀ. σοφίαν*. Propterea autem *γιγνώσκειν* usus est, quod deesset Græcis verbum a *σοφός* derivatum, cuius eadem esset ratio cum *σοφία*, quæ verbi *sapiendi* cum *sapientia*.

Adiiciamus denique sententiam de duobus huius carminis locis. Alter est v. 39.

πεύθομαι δ᾽ αὐτὰν κατακλυσθεῖσαν ἐκ δούρατος
ἐναλίου βᾶμεν σὺν ἅλμᾳ
ἑσπέρας, ὑγρῷ πελάγει σπομέναν.

Librorum lectio est *ἐναλίᾳ*, quam tenet etiam schol. Bœckhius Bergkiusque ex J. Fr. Meyeri coniectura scripserunt *ἐναλίου*, quod habet sane, quo commendetur. Kayserus autem defendit *ἐναλίᾳ*, cui minime assentior. Languet enim *ἐναλίᾳ* inutile epitheton vocis *ἅλμᾳ*. Contra post vocem *κατακλυσθεῖσαν* optime *ἐναλίαν* additur infinitivo *βᾶμεν*, ut unice veram hanc putem Fr. Thierschii et Hermanni emendationem.

V. 206. *καὶ νεόκτιστον λίθων βωμοῖο θέναρ*. Omnes libri *λίθινον βωμοῖο θέναρ*, excepto Bodl. C, unde *λίθων* cum Oxoniensibus posuit Bœckhius. Fortasse scribendum: *καὶ νεόκτιστον θέναρ βωμοῦ λίθινον*.

P. V. In hoc carmine difficillimo primum laudanda Bergkii egregia coniectura, qua scripsit

Ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής,
ὅταν τις ἀρχᾷ κεκραμένον καθαρᾷ
βροτήσιος ἀνὴρ πότμου παραδόντος αὐτὸν ἀνάγῃ
πολύφιλον ἑπέταν.

Nec difficile est suspicari, unde vulgatum illud *ἀρετᾷ*, quod metro convincitur, irrepserit, nimirum ex O. II, 53. *ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος*. Ad sententiam a Bergkio restitutam cf. N. I, 8. *ἀρχαὶ δὲ βέβληνται θεῶν κείνου σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς*. Præiverat Hermannus vitium monstrans et *ὀργᾷ* coniiciens.

In numerorum autem versuumque distributione Hermannum sequor. Quare statim in sequentibus a librorum auctoritate non discesserim sic scribens:

σύ τοί νιν κλυτᾶς
αἰῶνος
ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο
σὺν εὐδοξίᾳ μετανίσσεαι
ἕκατι χρυσαρμάτου Κάστορος.

Et *τοί νιν* post Tafelium Dissenius et Kayserus recte defenderunt. Bergkius autem scribens

σύ τοι νῦν κλυτὰν
αἰῶν᾽ ἀκρᾶν κτέ.

propter κλυτὰν αἰῶν᾽ omnes strophas et antistrophas corrigere coactus est. Sed illa saltem mutatione videmur carere posse, quum simplicem Pindaroque dignam sententiam præbeat librorum lectio. Laudaverat enim poëta potentiam divitiarum firmo fundamento nixarum, si quis eas a fortuna datas homo digne colat et augeat. Quibus lectis exspectaveris, ut ea sententia, quam præclaris verbis exornatam poëta in principio posuit, referatur ad Arcesilaum, quippe qui talibus divitiis decoratus sit. Idque ut fiat, pæne necessarium est, nec tamen fit e Bergkii ratione, sed in locum divitiarum substituitur κλυτὰ αἰών, quod quidquid est, vix aut obscure significat divitias, ita ut moleste abrumpi sentias sententiam principalem, quæ eo usque continuanda fuit, ut quid ea ad Arcesilaum pertineret, cognosceretur. Non autem abrumpitur, sed continuatur eoque quo debet refertur retento pronomine νιν. Iam quæritur, quid sint κλυτᾶς αἰῶνος ἀκραὶ βαθμίδες. Infimam inventutem vulgo interpretantur, quod suo iure reiecit Bœckhius. Sunt potius summi vitæ beatæ gradus, i. e. summum vitæ beatæ fastigium. Quod si quæris quid sit, nihil aliud erit, quam dignitas regia, quam Arcesilaus tenet. Similiter ea vocabula cepit etiam Heimsoethius. Sententia ergo hæc erit: *tu eas* (divitias) *sectaris et assequeris a summo vitæ inclitæ fastigio profectus, i. e. in summa dignitate regia constitutus, cum gloria equestri Castoris favore.* Sunt igitur duæ res eæ, quas statim persequitur disertius ac singulatim in antistropha, quod rex sit potentissimus, et quod victoriam curulem Delphis reportaverit. Sic omnia recte cohærent. Nec vero argutandum est in præs. μετανίσσεαι, pro quo fuerunt qui præteritum requirerent. Quidni enim rex quamvis opulentus et magnificus opulentiam et magnificentiam amplius etiam quærere et assequi dicatur?

In antistropha nova exoritur difficultas. Scribam sic, ut scribenda mihi videntur: σὲ δ᾽ ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται. || τὸ μὲν ὅτι βασιλεὺς || ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων, || ἔχει συγγενὲς || ὀφθαλμὸς || αἰδοιότατον γέρας || τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί.

Vulgo legitur ἔχει συγγενὴς ὀφθαλμός. Hermannus coniecit: ἐπεὶ συγγενὴς ὀφθαλμός. Neutrum ex his videtur ferri posse. Difficile enim intelligere, quid sit ὀφθαλμὸς συγγενής, quod quidem *innatum, congenitum virtutis et præstantiæ lumen* (Dissen.) vel *ingenitam virtutem aut nobilitatem generis aut felicitatem gentis propriam* (Herm.) interpretantur. Sed quo iure eam his vocabulis significationem hoc loco tribuerent, ostendere omiserunt, nec quemquam puto in eam Pindari lectorem facile incidere. Sentis enim alius generis esse, quum Theronis maiores O. II, 10. Σικελίας ὀφθαλμός fuisse dicuntur, aut Amphiaraus στρατιᾶς ὀφθαλμός O. VI, 16. aliud etiam infra v. 51, ubi Βάττου παλαιὸς ὄλβος vocatur πύργος ἄστεος ὄμμα τε φαεννότατον ξένοισι. Immo mittenda ea ratio est, qua ingratissime obscuratur potius quam illustratur sententia. Quod vitaturus, nisi me fallit opinio, Bergkius scripsit: ἔχεις συγγενὲς ὀφθαλμῷ αἰδοιότατον γέρας, suspicatus tamen in annotatione, aliud vocabulum scriptum fuisse a Pindaro, quemadmodum ὀφθαλμοῖς σεμνότατον γέρας. Hoc enim requiri et hoc dici a poëta, regiam dignitatem, quæ oculis maxime venerabilis videatur, Arcesilaum a maioribus acceptam habere. Non nego planiorem sic reddi Pindari sententiam, etsi hærere possis in eo, cur oculis potissimum venerabilis dicatur dignitas regia. Verum si mecum scripseris: ἔχει συγγενὲς ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας, quæ mutatio fere

nulla est, quum η et ε Pindari ætate eadem litera scriberentur, videbis commodum sensum provenire, modo ὀφθαλμὸν regis intelligas, quem alloquitur poëta, et *oculum* dictum accipias pro *custodia, tutela, cura.* Hoc igitur poëta dicit: *primum quod rex es magnarum urbium, tenet* (vel *tuetur*) *oculus tuus a maioribus tuis acceptam maxime venerabilem hanc dignitatem temperatam tua sapientia.* Sic redit vocabulo ὀφθαλμός maior illa vis et ponderosa potestas, qua solum fieri poterat, ut iuste versus unus eo impleretur et ut ad modum trochæi semanti multo tardiore ductu a musicis tres syllabæ canerentur. De qua re vid. Herm. opuscc. VII, p. 152.

Paullo dubitantius sententiam aperiam de loco v. 32 seqq. Currus Arcesilai, quo eius auriga vicerat, pendet integer cum ornamentis omnibus dedicatus Apollini in ædicula cypressina prope statuam a Cretensibus positam.

κατέκλασε γὰρ ἐντέων σθένος οὐδέν· ἀλλὰ κρέμαται, || ὁπόσα χεριάρα || τέκτονος ἀγάλματ' ἄγων || 35. Κρισαῖον λόφον || ἄμειψεν || ἂν κοιλόπεδον νάπος || θεοῦ, τῷ σφ' ἔχει κυπαρίσσινον || μέλαθρον ἀμφ' ἀνδριάντι σχεδόν, || Κρῆτες ὃν τοξοφόροι κτέ.

Scripsi sic ut scribendum putavi. Nam primum libri χεριαρᾶν τεκτόνων δαιδάλματ' ἄγων, quod quum metro repugnet, nam pro τεκτόνων δαι pæonem primum postulat metrum, varie tentatum est. Hermannus coniecit τεκτόνια δαίδαλ', Bergkius τεκτόνι' ἀγάλματ'. Sed iniuria spreta videtur Erasmi Schmidii emendatio χεριάρα τέκτονος ἀγάλματ', simplicissima enim est, et quod libri habent, glossatoris manum prodit. δαιδάλματ' glossatoris esse omnes agnoverunt. Similis origo etiam pluralis esse potuit, nam τεκτόνων, quod etiam χεριαρᾶν post se traxisse videtur, aperte falsum est. Quanquam in re incerta dubitatio semper manebit. At de ἂν post Hermannum opuscc. VII, p. 147. dubitandum non est. Restat denique τῷ σφ' ἔχει. Nam libri τό σφ' ἔχει, quod vulg. interpretantur διό σφ' ἔχει, minus apte. Displicet enim hoc: currus cum omnibus ornamentis artificis suspensus est, *ideo* continet eum ædicula. Similem ob causam displicuit Kaysero, quare suspicatus est καί σφ' ἔχει. Mihi vero requiri hoc videtur, ut dicatur, cui suspensum sit donarium, cui dicata victoriæ instrumenta; quod ut quæramus ipse nos ducit poëta, qui ultimum prioris enunciati vocabulum posuerit θεοῦ. Itaque aptum videtur τῷ σφ' ἔχει, *cui dicata continet.*

Postremo adiiciam ex hoc carmine locum, quem iam in introd. p. 54 ex parte tractavi. De Cyrenarum origine et gloria dicturus ac simul aliquam suæ cum Cyrenensibus coniunctionis mentionem iniecturus poëta alte quidem sed arte admirabili repetit ex antiquissima Heraclidarum historia, quo magis appareat, quantopere Cyrenenses eorumque res Apollini rerum futurarum provido curæ sint eiusque dei auspiciis gaudeant. Itaque postquam Heraclidas Apollinis iussu et oraculo sedes in Peloponneso occupasse narravit, coloniam Sparta deductam Theram dicit, inde rursus conditas esse Cyrenas. Fuisse autem in colonorum numero Theram indeque post plures ætates Batto duce Cyrenas profectorum Aegidas, gentem Thebanam, ex qua poëta ipse originem suam ducit. Aegidas autem Thebanos Heraclidis in Peloponneso occupanda affuisse docet Pindarus J. VI, 12 sqq., ubi Doriensem coloniam Lacedæmoniorum certo fundamento nixam dicit ope Aegidarum, qui Amyclas expugnaverint. Unde factum est, si Pindarum audiamus, ut Aegidarum parte Thebis vetere sede remanente alii Aegidæ Lacedæmone habitarent, horum autem pars Theram Cyrenasque migrarent. Itaque et Thebis et Spartæ et Theræ et Cyrenis sunt Aegidæ, qui quum sacris gentiliciis colerent Apollinem

Carneum, poëta harum urbium coniunctionem ac totius gentis vinculum communi omnium Aegidarum cultu Apollinis Carnei suaviter significat. Quæ quum ita sint, talem enim fere nexum rebus a Pindaro narratis subesse oportet, fieri sane poterat, ut Aegidæ Thebani Carnea sacra gentilicia colentes non sine gloria gentis illorum quoque Aegidarum memoriam celebrarent ac diebus festis redeuntibus repeterent, qui Thebis primum oriundi postea in aliis regionibus habitantes clariorem invenerant gloriam et auctoritate maiore florebant, quam cognati Thebani, nec tamen communis originis immemores esse voluerunt. Sic intelligetur, cur Pindarus demonstret, Cyrenam nympham et urbem etiam Thebis in Carneis Apollini sacris celebrari. Sed necessarium est, ut locum totum huc transscribamus, quemadmodum constituendus videatur. — Commemoratur oraculum,

τῷ καὶ Λακεδαίμονι || ἐν Ἄργει τε καὶ ζαθέᾳ Πύλῳ || ἔνασσεν ἀλκᾶντας Ἡρακλέος || ἐκγόνους Αἰγιμιοῦ τε. τὸ δ' ἐμοὶ γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος, || ὅθεν γεγενναμένοι || ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι || ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ· ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν || πολύθυτον ἔρανον, || ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, || Ἄπολλον, τεᾷ, || Καρνεῖε, || ἐν δαιτὶ σεβίζομεν || Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν.

V. 65. *καί* e libris rectissime restituit Hermannus, quo ipso versuum ab eo facta divisio comprobatur, nam ab aliis *καί* eiiciebatur, quod numeris, quales ipsi faciebant, repugnaret. Quæritur autem de verbis *τὸ δ' ἐμοὶ γαρύοντ'* sqq. ac de eorum structura. *ἐμοί* ego scripsi, nam in libris est *ἐμόν*. Et hoc quidem retinueram ac defenderam in introd. p. 54, et structuram quodammodo expedieram. Sed tamen nunc plura sunt, quæ ab illa ratione me revocent. Ut paucis defungar, *τό* pronomen, ut jussit Heimsoethius, referendum ad præcedentia, quæ de Heraclidis Apollinis iussu in Peloponnesum Spartamque deductis dicuntur. Eam enim sibi ait gratissimam famam, quod rem suam in Peloponneso Dorienses confirmaverint. Quod quum non sine Aegidis Thebanis facerent, ea res grata poëtæ est, qua contineatur suæ gentis cum Spartanorum gloria cognationis testimonium. Iam huius enunciati *τὸ δ' ἐμοὶ γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος* non ut olim sequutus Hermannum facio subiectum *Αἰγεΐδαι ἐμοὶ πατέρες*, sed *γαρύοντι* omnino illi, qui fabularum sunt gnari rerumque antiquarum memores. Eos autem e suis gentilibus, qui Lacedæmone Theram migraverant, quum cognati essent eorum, quibus ipse prognatus erat, *πατέρας* haud dubie dicere poterat. Sic omnia simplicissima fiunt recteque procedunt: „*ea mihi suavissima celebratur* „*fama ex Sparta, unde oriundi Theram venerunt Aegidæ, maiores mei, non sine* „*diis.*“ Sentis jam *ἐμοί* multo aptius esse quam *ἐμόν*.

Quæ deinceps sequuntur verba, varias admittunt interpretationes, prout verba distinguuntur. Multa de iis multi scripsere, ex quibus verum vidisse mihi videtur unus Heimsoethius, cuius sententiam mutata una in Pindaricis literula amplector. Quæritur, quo referatur *ἔνθεν*, quod alii ad *ἔρανον*, alii ad *Θήραν* retulerunt. Et hic quidem, ut Tafelius, recte facerent, si orbis urbium coniungendarum, Thebarum dico et Cyrenarum, ea arte concluderetur. Sed deest catenæ articulus. Nam si Therâ acceperunt Carnea Thebani Aegidæ, non intelligitur, cur Cyrenæ in Carneis Thebanis celebrentur. Intelligeretur sane, si Cyrenis accepissent Carnea Aegidæ Thebani. Id autem absurdum est, nam nec Therâ nec Cyrenis Carnea Thebas venire potuerunt. Is autem unus in ea, quam Heimsoethius proposuit, structura relinquitur nodus. Nam de ceteris recte iudicavit dicens: „*ἄγεν, ἔνθεν, σεβίζομεν* referuntur ad verba splendide in fine collocata

„Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν.“ Solvendus autem nodus ita, ut accusativus Καρνεῖα tollatur, sic enim scripsit Hermannus, idem τεά. At in libris, ut diserte in Pal. C. est κεᾶ Καρνεῖ'. Itaque scribendum Ἄπολλον, τεᾷ, Καρνεῖε, apte τεᾷ inter vocativos posito. Ergo res sic procedit: Aegidæ, maiores mei Sparta venerunt non sine diis, sed inde numen divinum eorum πολύθυτον ἔρανον duxit eo, unde acceptum, Apollo Carnee, tuis in sacris celebramus nomen Cyrenæ urbis. Ceterum Apollinis cum Cyrena nympha nuptias P. IX suavissime describi res nota est.

Unum denique locum ex hoc carmine addam, in quo duplex error tollendus est. Antenoridæ Troiani post Troiam excisam cum Menelao et cum Helena in Libyam venisse dicuntur ibique collem Antenoridarum dictum occupasse v. 78 sqq.

σὺν Ἑλένᾳ γὰρ μόλον, καπνωθεῖσαν πάτραν ἐπεὶ ἴδον
ἐν Ἄρει. τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος ἐνδυκέως
δέκονται θυσίαισιν ἄνδρες οἰχνέοντές σφε δωροφόροι,
τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε.

In his primum Bœckhius verba τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος facit obiectum. Mihi contra videtur. Obiectum est σφε, subiectum est τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος, cui subiicitur appositio ἄνδρες οἰχνέοντες δωροφόροι. Deinde Dissenius δέκονται præsens historicum esse voluit. Falso, nam Antenoridæ a Cyrenensibus coluntur ut heroes, et a gente equestri (cf. P. IV, 17. Cyrenenses ἀντὶ δελφίνων δ' ἐλαχυπτερύγων ἵππους ἀμείψαντες θοάς, ἀνία τ' ἀντ' ἐρετμῶν δίφρους τε νωμάσοισιν ἀελλόποδας.) excipiuntur donis et honoribus, qualibus affici solent heroes οἱ ἐγχώριοι.

Carminis suavissimi P. VI saltem unum locum tractabo. Sermo est de Thrasybulo iuvene artium bonarum laude insigni. Vs. 47.

νόῳ δὲ πλοῦτον ἄγει
ἄδικον οὔθ' ὑπέροπλον ἥβαν δρέπων,
σοφίαν δ' ἐν μυχοῖσι Πιερίδων.

Offensioni fuit viris doctis spondeus ἥβαν, quum secundum legem ceterarum stropharum requiratur in ea sede anapæstus. Hermannus coll. P. II, 28, coniecit αὐάταν. Contra recte Kayserus: „οὔτ' ἄδικος οὔθ' ὑπέροπλος non potuit dici αὐάτα, quia nec in„iustitiâ nec superbiâ caret unquam.“ Ipse igitur tentat ἑπέταν. Iam verum quidem est πλοῦτον a Pindaro P. V, pr. dici πολύφιλον ἑπέταν. Sed quum recte ibi πλοῦτος dicatur ἑπέτας, vereor tamen, ne non ubique debeat comes dici. Accedit aliud; nam etsi recte dicitur πλοῦτον δρέπειν, vix tamen recte dicatur πλοῦτον οὔτ' ἄδικον οὔθ' ὑπέροπλον ἑπέταν δρέπειν, quia δρέπειν parum convenit notioni vocabuli ἑπέταν. Verumtamen ἥβαν falsum esse convincitur non solum metro, sed etiam ipsa verborum significatione, nec quisquam facile dixerit, quid sit hoc loco ἥβαν δρέπειν, nam longe aliud est, quod P. IX, 109, legitur: Χρυσοστεφάνου δέ οἱ ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθελον. Licet autem suspicari, ex ipso illo loco, quum antiqua esset lacuna, ab emendatore huc translatum esse ἥβαν, idque confirmatur etiam, quod Eustath. prooem. p. 5, ed. Schneidew. habet οὔτε ἄδικον οὔτε ὑπέροπλον ὕβριν δρέπων. Quale autem vocabulum interierit, difficile est coniectura assequi. Debebat omnino inesse notio rei iucundæ. Nisi sic fere scriptum erat, quod, dum afferatur melius, proponam: ἄδικον οὔθ' ὑπέροπλον ἀπό νιν δρέπων. νιν refer ad πλοῦτον, ut sit: *mente divitias regit, neque iniustas neque insolentes eas decerpens.*

P. VIII, poëta tranquillitatem tanquam genium alloquitur vs. 8 sqq.

τὺ δ' ὁπόταν τις ἀμείλιχον
καρδίᾳ κότον ἐνελάσῃ,
τραχεῖα δυσμενέων
ὑπαντιάξαισα κράτει τιθεῖς
ὕβριν ἐν ἄντλῳ.

Intolerabilis fit hic locus, si Dissenium audias sic construentem: δυσμενέων ὑπαντιάξαισα κράτει, *hostium occurrens violentiæ.* Sed nihil est quod nos cogat confugere ad structuram adeo impeditam. Immo ὑπαντιάζειν, quod alibi cum accusativo construitur, ut P. V, 41, h. l. obiecto caret, et reliqua sic struenda: κράτει τιθεῖς δυσμενέων ὕβριν ἐν ἄντλῳ, quo admisso omnia plana fiunt. Seiuncta quidem sunt vocabula δυσμενέων et ὕβριν interpositis aliis, sed tamen ut cogitatione iungerentur provisum est collocatione insigni, quum alterum versus finem, alterum principium occupet.

Sed multo difficilior est qui sequitur locus, in quo quum multi laboraverint, proferendum saltem quid ipse sentiam. Vs. 67 sqq. Apollinem appellat:

ἄναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ
κατὰ τὶν ἁρμονίαν βλέπειν,
ἀμφ' ἕκαστον ὅσα νέομαι.
κώμῳ μὲν ἁδυμελεῖ
Δίκα παρέστακε. θεῶν δ' ὄπιν
ἄφθιτον αἰτέω, Ξέναρκες, ὑμετέραις τύχαις.

Missis ceterorum interpretum rationibus de una Kayseri sententia videbimus. Et is quidem recte vituperat καταβλέπειν. „Quam ob rem deus invocetur *inspicere* vel *respicere* cantum, et non *inspirare?*" Recte idem vir doctus negat ἑκών pro ἵλαος dici, itaque ἑκόντι νόῳ non de Apolline sed de poëta ipso esse intelligendum ait et εὔχομαι significare *glorior*, *affirmo*, non *precor.* Hucusque omnia, puto, recte. Contra quod κατά τιν' ἁρμονίαν ἕπειν scribit, mihi non probatur. Nam quum deum ἄναξ invocaverit poëta, sequi debet σὲ, vel σοί, vel σοῦ. Ergo τὶν erit σοί. Quem denique sensum esse statuit: *Modestiæ, Apollo, in omnibus carminibus lubens studeo, et verum est, quod prædico, at invidia deprecanda tamen, et ante omnia deorum gratia expetenda victoribus*, vix est ut e verbis græcis elicias. Videtur potius poëta indicare, utpote in carmine Pythio (cf. introd. p. 85), cur et quomodo Apollinis mentionem inserere soleat, suamque in deum pietatem testari. Scripserim igitur βαλεῖν, vel si mavis πλέκειν, a quo infinitivo tmesi diremtum sit κατά. πλέκειν vel καταπλέκειν ἁρμονίαν dictum sit ut πλέκω ὕμνον O. VI, 86. Igitur proveniet hic sensus: *Apollo, affirmo me libenter tuum in honorem tuamque in gratiam concinnare harmoniam, quidquid de singulis victoribus persequor*, i. e. si qua carminibus meis gratia est, libenter eam tibi refero acceptam, eamque tuum in honorem carminibus meis conciliare studeo. Scribendum enim νέμομαι pro νέομαι ex Mingarellii coniectura; porro struendum καταβαλεῖν vel καταπλέκειν σοὶ ἁρμονίαν ὅσα νέμομαι ἀμφ' ἕκαστον. De structura verborum ἁρμονίαν ὅσα iam Dissenius contulit P. VI, 21. ἐφημοσύναν τά. Verbis denique κώμῳ μὲν ἁδυμελεῖ Δίκα παρέστακε non inest quod Kayserus existimavit: *et verum est, quod prædico,* sed hoc vult Pindarus: *recte quidem et iure victoria lætamini, sed etiam precor a diis, ut fortunis vestris propitii sint.*

P. IX pr. ἐθέλω — σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων Τελεσικράτη Χαρίτεσσι γεγωνεῖν, ὄλβιον ἄνδρα, διωξίππου στεφάνωμα Κυράνας. Non facile dixeris, quo interpretes

verba *στεφάνωμα Κυράνας* retulerint, ad *Τελεσικράτη*, an ad sententiam totam. Videntur sane ad *Τελεσικράτη* retulisse. Falso, nam appositio est enunciati *ἐθέλω — γεγωνεῖν ὄλβιον ἄνδρα*. Porro vs. 64 iam Erasmus Schmidius sic distinxerat: *ἀνδράσι χάρμα φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλων.* Posteriores editores fere omnes male: *ἀνδράσι χάρμα φίλοις ἄγχιστον, ὀπάονα μήλων.* Non solum enim orationis concinnitas sic tollitur, sed etiam ineptum est *ἄγχιστον* ad *χάρμα* relatum, aptissimum ad *ὀπάονα*.

P. X, 10 sqq. Pindarus laudans Hippocleæ victoriam appellat Apollinem, qui Hippocleam adiuverit:

Ἄπολλον, γλυκὺ δ' ἀνθρώπων τέλος ἀρχά τε δαίμονος ὀρνύντος αὔξεται·
ὁ μέν που τεοῖς γε μήδεσι ταῦτ' ἔπραξεν·
τὸ δὲ συγγενές, ἐμβέβακεν ἴχνεσι πατρὸς
Ὀλυμπιονίκα δὶς ἐν πολεμαδόκοις
Ἄρεος ὅπλοις·
ἔθηκε καὶ βαθυλείμων' ὑπὸ Κίῤῥας ἀγὼν
πέτραν κρατησίποδα Φρικίαν.

Primum nunc abiicio priorem sententiam, qua Kayserum sequutus in introd. p. 55 pro *γε* ex Schol. *τε* ponendum dixi. Quamvis enim duæ afferantur victoriæ causæ, dei favor et *τὸ συγγενές*, tamen eæ non particulis *τε — δέ* sic coniungendæ erant, ut utrique quasi idem pondus et momentum tribueretur, quo sane invenustior fieret sententiarum ratio. Igitur poëta utramque potius distinuit ac discrevit, quam coniunxit, et magis etiam extulit auxilium dei. Ergo recte se habet *γε*. Nihilominus post *τὸ δὲ συγγενές* distinxi, quia absolute dictum est.

De Phricia quoque egi in introd. p. 44 et indicavi, cur dissentiens ab Hermanno et a Kaysero eum minime equum, sed hominem ex Hippocleæ cognatione putarem. Nunc autem tantum abest, ut equum esse putem, ut Phriciam Hippocleæ patrem fuisse dicam, quemadmodum scholiastæ diserte dicenti hucusque creditum erat. Nam postquam Pindarus de *συγγενείᾳ* inceperat dicere, consentaneum erat, ut de patre diceret et si quis alius ex ea domo vicisset, non de equo. Nisi forte equus patris erat ille Phricias, ut tamen pergeret patris victoriam prædicare. Sed hoc rursus parum probabile, primum quod sic obscurius loquutus esset poëta, si patris equum intelligi voluisset, deinde quia cursor erat pater, vicerat enim Olympia *ὁπλιτοδρόμος*. Iam quid aliud significat voc. *κρατησίπους*, præter eandem laudem cursoris, ut id optime in patrem conveniat. Sed accedit etiam aliud. Solet enim Pindarus nomina propria hominum vel personarum, de quibus pluribus acturus est, postquam eos circumlocutionibus, aut rebus gestis, aut aliis quibusdam notis vel *χαρακτηρισμοῖς* significavit, cum eximia quadam vi nec sine gratia in fine periodi collocare, de qua re infra uberius dicetur. Id ipsum in nostrum cadit locum. Significaverat enim patrem vocabulo *πατρός* eiusque victoriis duabus, et commemorata postremo Pythica patris nomen posuit in fine totius periodi vocabulum ultimum. Sic acquiescunt ii qui audiunt ut in re confecta et omnibus numeris absoluta, quod non fieret, si nomen postremo additum non esset. Ergo patris, non cognati, neque equi nomen est *Φρικίας*.

At pater iste, inquiunt, non Phricias fuit, sed Hippocleas, qui cognominem habuit filium. Nam quum vulgo scribatur v. 55 sqq.

ἔλπομαι δ' Ἐφυραίων
ὄπ' ἀμφὶ Πηνεϊὸν γλυκεῖαν προχεόντων ἐμὰν

57. *τὸν Ἱπποκλέαν ἔτι καὶ μᾶλλον σὺν ἀοιδαῖς*
ἕκατι στεφάνων θαητὸν ἐν ἅλιξι θήσεμεν κτέ.

Hermannus opuscc. VII, p. 164, hæc monuit: „Dictio poëtica non fert articulum „v. 57, *τὸν Ἱπποκλέαν*. Ibi *Ἱπποκλέαν* editum ex Rittershusii et Schmidii correctione, „quum libri consentirent in *Ἱπποκλέᾳ* [aut, quod addendum: in *Ἱπποκλέα*]. Non „debebat hæc scriptura temere contemni, quæ nisi me coniectura fallit, proxime verum „accedit. Sic enim scribendum videtur: *τὸν Ἱπποκλέα σ᾽ ἔτι. Te, Hippocleæ filium.*“ Kayserus autem cetera Hermanno adstipulatus pro *σ᾽ ἔτι* malit *ποτέ*. — Sed vereor, ne non recte hac coniectura inferatur patris nomen. Nam ut taceam sic paullo brevius rem significatam videri, possis etiamnunc quomodo librorum lectio orta sit e schol. cognoscere. Fac enim scriptum fuisse, quod verum puto, *πόθ᾽ Ἱπποκλέαν ἔτι*, postea autem propter analogiam nominum in *κλῆς* exeuntium ab aliquo mutatum esse in *Ἱπποκλέα*, poterat lis oriri, accusativus an dativus esset *Ἱπποκλέα*. Et vero inter interpretes veteres de ea re disceptatum est. Scholiastes enim: *δοκεῖ δὲ ἡ ᾠδὴ μὴ ὑγιῶς ἐπιγεγράφθαι Ἱπποκλεῖ· δέον γὰρ Ἱπποκλέᾳ. τὸ γὰρ ὄνομα ἦν Ἱπποκλέας, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ Πίνδαρος δηλοῖ.* Iam qui accusativum putabant, tanquam accusativi notam supra scribebant *τὸν*, quod postea sedem particulæ *πόθ᾽* occupavit. Vides falsæ lectionis *τὸν Ἱπποκλέα* originem. *ποτέ* h. l. recte se habet. Cogitasse enim Hippocleam de adeundo certamine Olympio et sequentia (vv. 60—63) produnt, et licet ei, qui morem Pindaricum novit, coniectura augurari ex iis, quæ v. 12 sqq. de *συγγενείᾳ* et de patre bis Olympiorum victore dicta erant. Postremo de *ποτέ* in versus initio posito cf. N. VI, 44, *πόθ᾽ ἁ λέοντος*, ibique Bœckh. in nott. critt.

Unum præterea ex hoc carmine addam. V. 28, *ὅσαις δὲ βρότεον ἔθνος ἀγλαΐαις ἁπτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον πλόον.* De his verbis interpretum alius aliud statuunt. Heimsoeth.: „*περαίνει*, quod hic absolute dictum est, simul atque auditur, „eorum quæ præcedunt exstinguit memoriam.“ Hoc ego nec quid sit intelligo, et falsum est, *περαίνειν* esse absolute dictum. Subiectum verbi *περαίνει* est *ὁ τοιοῦτος*, is qui describitur v. 22 et 23, *οὗτος ἀνὴρ — ὃς ἂν —*, idem qui etiam v. 27 significatur pronomine *αὐτῷ*. Is igitur perficere dicitur navigationem usque ad extremum, quidquid felicitatis a genere hominum attingi potest. Verba enim quod non viderunt interpretes, sic struenda: *περαίνει τὸν πλοῦν πρὸς τὸ ἔσχατον.*

In Pyth. XI, plura mutare conati sunt critici, sed nonnunquam præter necessitatem. Thrasydæus victor videtur puer fuisse e domo non summæ, sed nec infimæ fortunæ; quapropter poëta, qui alias regum ac principum sortem magnifice laudat, hic mediocritatis potissimum celebrat conditionem. Idque quum v. 52 sqq. recta, tum ex opposito facit, Agamemnoniæ domus exitu fatali commemorando, fabula sumta splendida et ad propositum aptissima. Qua in fabula quid inesset, quod ad res Thebanorum pertineret, dixi præeunte Bœckhio in introd. p. 72 sq., ubi indicavi, cur non accederem interpretibus iis, qui existimarent habuisse Thrasydæum eiusque familiam aliquid cum Atridarum fatis comparabile. Iam poëta facillimos ubique simplicissimosque transitus faciendi modos quærens, iunctura levi ac tenui usus, quæ sæpe fraudem fecit interpretibus, in commemoranda victoria Pythica Pyladis ob nullum aliud consilium mentionem fecit, nisi ut per eum adduceret Orestis mentionem, rursusque Orestem propterea nominavit, ut transiret ad res Agamemnonis, accommodatissimas ad consilium poëtæ id agentis, ut in summis principum virorum fortunis sæpe reperiri doceret etiam

summas miserias, contra in mediocritate et in modestia felicitatis inesse solere constantiam. Itaque non placet, quod Kayserus statuit de v. 13 sqq.

ἐν τῷ Θρασυδαῖος ἔμνασεν ἑστίαν
τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῴαν βαλών,
ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραισι Πυλάδα
νικῶν ξένου Λάκωνος Ὀρέστα.

Nam quum scholiastarum unus habeat: *ἐν τοῖς Πυθίοις ἀνέμνησε τὴν πατρῴαν ἑστίαν τῶν νικῶν ἐπιβάλλων αὐτῇ τὸν στέφανον*, Kayserus scribit: *ἄμνασεν ἑστίαν τρίτον ἐπὶ στέφανον βαλὼν — νικᾶν*, ut sit: „domum suam victoriarum admonuit, quæ „olim matricida Orestes in campis Pyladæ reportavit amici.“ At de victoriis nescio quibus Orestis in campis Pyladæ nulla hic fit mentio. Videamus autem de scholiis, ex quibus prius agnoscit eam structuram, quam sequuti sunt Bœckhius et Dissenius, hæc dicens: *ἐν ᾧ — ἀγῶνι ἐπιβαλὼν τρίτον στέφανον τὴν πατρικὴν μνήμην ἤγαγε τῶν πατρικῶν κατορθωμάτων, νικῶν ἐν τῇ χώρᾳ τοῦ Πυλάδου τοῦ φίλου τοῦ Λάκωνος Ὀρέστου.* Recte. Sed quum rarum sit *μιμνήσκω* cum accusativo rei, frequentius cum genitivo, scholiastes ille, quem laudat Kayserus, quæsivit genitivum, quo factum est, ut *νικῶν* pro genitivo haberet. Nulla igitur illius scholii auctoritas, nec puto ibi *ἀνέμνησε* scriptum esse, quia apud Pindarum lectum esset *ἄμνασε*. Ceterum ut *ἄμνασέν τινά τινος* est *memorem quem fecit alicuius*, sic *ἔμνασέν τι* est *in memoriam aliquid revocavit*, ut Eurip. Alcest. 878, *ἔμνησας ὅ μου φρένας ἥλκωσεν.* Hoc ipsum autem desideratur: *laris paterni memoriam instauravit.* Quod autem Hermannus *πατρῴαν* reprehendit ut loco positum ineptissimo, mallem vir summus dixisset loco non usitato. Videtur autem excusari posse. Vocabulorum enim *ἑστίαν* et *πατρῴαν* terminatio similis est, ea porro in fine versuum collocatio eaque soni in utramque cadentis ratio, ut pæne necessario auditor apud animum suum coniungat. Denique ipsa structuræ simplicitas et verborum decursus suadet, ut sic accipiatur: *Thrasydæus puer instauravit domus paternæ memoriam, quum tertiam ei afferret victoriam, quam reportavit Delphis in campo Pyladis, qui hospes fuit Orestis.* Vides me ne Hermanni quidem necessariam ducere emendationem scribentis *ἔμνασέ μ᾽ ἑστίαν.*

Atque de tribus illis victoriis subtiliter egit Bœckhius, doctissime exponens tertiam victoriam hanc esse Thrasydæi, e reliquis duabus alteram patris v. 43, alteram Olympicam alius cuiusdam ex illa gente v. 46. Quare quum non plures videantur fuisse Olympicæ, est quod dubites de Kayseri emendatione, qui v. 46 pro *τὰ μὲν ἐν ἅρμασι* proposuit *θαμάκις ἅρμασι.*

Per hoc carmen quartus quisque versus strophicus et antistrophicus plus quam semel metro laborat, id quod Hermannus docuit. Video emendationes, quas protulit V. D., ne ipsi quidem satis certas videri. Afferam, dum certiora inveniantur, quod mihi visum est. V. 20 pro *Κασσάνδραν* protulit *οἰκτρότατα.* Puto tale verbum requiri, quod Clytæmnestræ facinori describendo conveniat, v. c. *αὐτοχερί.* Idem V. D. suasit v. 25 scribendum: *ἐννύχια πάραγον κοιμήμαθ᾽ ὃ νέαις ἀλόχοις.* At *κοιμήματα* potius tragicorum quam Pindari est, ac nescio an ferri debeat choriambus, cuius syllabam primam ubique solutam voluit esse Hermannus. Choriambus si ferri potest, scripserim uno vocabulo mutato: *ἔννυχοι πάραγον κοῖται· ὃ νεαραῖς ἀλόχοις,* Fortasse autem etiam vulg. *τὸ δὲ νέαις ἀλόχοις* ferendum est, quum *τὸ δέ* pro *τοῦτο δέ* ad præcedentia relatum legatur etiam P. V, 68, quanquam concedo nostro loco non sane

gratam videri formulam *τὸ δέ*. Quod autem v. 36 pro *Παρνασοῦ πόδα* coniecit *Δελφὸν ὑπὸ πόδα*, satis incertum est, et incertum erit quidquid in eius loco posueris, quia *Παρνασοῦ πόδα* et simplicissimum et illud ipsum est, quod desideratur et quod dici debet. Possis hinc dubitare, an non necessario, præsertim in nominibus propriis, tam accuratæ debeant esse responsiones, quales Hermannus postulavit.

Fateor autem vix excusari posse *Σερίφῳ* in Pyth. XIII, 12.

Περσεὺς ὁπότε τρίτον ἄνυσσεν κασιγνητᾶν μέρος,
εἰναλίᾳ τε Σερίφῳ λαοῖσί τε μοῖραν ἄγων.

Quamobrem Hermannus scripsit:

εἰναλίᾳ τε πέτρᾳ λαοῖσί τε μοῖραν ἄγων.

Bergkius autem:

εἰναλίᾳ τε Σερίφῳ αὐτοῖσί τε μοῖραν ἄγων.

Quod placet quidem, sed molestum est unum, quod coalescere debent syllabæ. Ergo redeo ad Hermanni rationem, in qua unum *πέτρᾳ* non probatur. Nam quum insula in saxum mutata dicatur oblato demum a Perseo Medusæ capite, quod Strabonis verba docent X, p. 487, ab Hermanno allata: *οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος, ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες*, non videtur Perseus *πέτρᾳ μοῖραν ἄγων* dici debere. Igitur aliud vocabulum requiro, v. c. *νομᾷ*, ut O. VII, 33 Rhodum dixit *ἀμφιθάλασσον νομόν.*

Nem. I, 24 sqq.

λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ καπνῷ φέρειν
25. *ἀντίον· τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι· Χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ.*
πράσσει γὰρ ἔργῳ μὲν σθένος,
βουλαῖσι δὲ φρὴν ἐσσόμενον προϊδεῖν,
συγγενὲς οἷς ἕπεται.

Videamus de prima ex his sententiis. Recte Kayserus dissentit ab iis, qui *λέλογχε* trahunt ad Chromium. Id enim displicet non solum propter nimiam molestamque concinnitatem (*μεμφομένοις καπνῷ ἐσλοὺς ὕδωρ λέλογχε* scil. *Χρόμιος φέρειν ἀντίον*), quam vir doctus ut lyrico indignam vituperat, sed etiam propterea, quod sententia generalis requiritur, id quod etiam sequentia docent. Nec tamen mihi probavit, quod ipse suasit, *ὕδωρ* esse subiectum: *ὕδωρ λέλογχεν ἐσλοὺς μεμφομένοις* (*καθάπερ*) *καπνῷ φέρειν ἀντίον*, hac sententia: *aqua sortita est bonos viros, quam obtrectatoribus tanquam fumo offundant.* Mira enim et nimis artificiosa ea est ratio, in quam non facile inciderit auditor, aquam dici nactam esse bonos qui eam offundant. Itaque in introd. p. 118 dixi, *λέλογχε* videri impersonale esse: *sorte datum sive constitutum est, obtigit, ut obtrectatoribus boni aquam tanquam fumo offerant.* Cf. Hom. Od. IX, 160, *ἐς δὲ ἑκάστην* (*νῆα*) *ἐλάγχανον ἐννέα αἶγες.* Eurip. Hippol. v. 79, *ὅσοις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς.* — Nunc autem malim scribere *ἐσλός γ'*, quo vocabulo, etsi generalis sententia est, se ipsum poëta significat. Cf. Ol. IV, 5, *ξείνων δ' εὖ πρασσόντων ἔσαναν αὐτίκ' ἀγγελίαν ποτὶ γλυκεῖαν ἐσλοί.* J. III, 7, *εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα χρὴ μὲν ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν.* Quod quum non animadversum esset, interpretes in verbis *τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι* de malis artibus cogitarunt, quod alienum est. Poëta enim dicturus: a natura mihi poësis data est, Chromio ad res agendas fortitudo et consilium, sic eam sententiam

exposuit: *bonis datum est unde iniurias obtrectatorum reprimant; aliorum aliæ sunt artes; suam autem quisque naturam sequutus recta in via grassetur; strenue agit in rebus agendis, quibus data est, fortitudo et consilium; in te utraque laus est.* Sic transitus æque bene fit ad sequentia ac clauduntur quæ præcesserant.

Versuum 26—28 structuram interpretes nec veteres nec recentiores intellexerunt. Omnibus enim verba *ἐσσόμενον προϊδεῖν* visa sunt pendere a *συγγενὲς οἷς ἕπεται*, sic enim reddunt: *futura prospicere quibus ingenitum adest.* Male. Pendent enim vv. *ἐσσόμενον προϊδεῖν* a *φρήν*, et *συγγενὲς οἷς ἕπεται* non solum ad *φρένα* sed etiam ad *σθένος* pertinet. Commate igitur post *φρὴν* deleto et post *προϊδεῖν* posito sic redde: *quibus ingenitum est, eorum agit fortitudo in rebus, in deliberationibus mens provida futuri.* Nam illud *φυᾷ* v. 35, qua datam poëta quoque habet suam artem, explicatur verbis *συγγενὲς οἷς ἕπεται.*

De Herculis natalibus fabula nota narratur v. 35 sqq. Vulgo hæc leguntur:

ὡς ἐπεὶ σπλάγχνων ὕπο ματέρος αὐτίκα θαητὰν ἐς αἴγλαν παῖς Διὸς
ὠδῖνα φεύγων διδύμῳ σὺν κασιγνήτῳ μόλεν,
ὥς τ' οὐ λαθὼν χρυσόθρονον
Ἥραν κροκωτὸν σπάργανον ἐγκατέβα.

Iure offenderunt in hac structura critici ut languida et prosæ quam orationi Pindaricæ aptiore. Quapropter Bœckhius cum Hermanno pro *ὡς ἐπεί* scripsit *ὡς ἄρα*, suspicatus postea est *ὥς τ' ἄρα.* Pro *ὥς τ' οὐ* Hermannus posuit *οὔτοι* probante Dissenio. Non agnoscit *ἐπεί* scholiastes, quum habeat: *διηγήσομαι ὥσπερ ἐκ τῆς μητρικῆς νηδύος ἐς τὰς αὐγὰς ἦλθε.* Atque in ipsis schol. verbis *ὥσπερ ἐκ* Kayserus Pindari verba adservata putat. At primum *ἐκ* Pindari esse vix credam, quum pateat, scholiastam verbis *ἐκ τῆς μητρικῆς νηδύος* sententiam reddere voluisse verborum poëtæ *σπλάγχνων ὕπο ματέρος.* Deinde *ὥσπερ* quomodo accipiendum sit, nec Kayserus docet neque ego intelligo. Nam *ὥσπερ* comparationi, quæ ab h. l. aliena est, non narrationi inservit. Haud procul a vero abfuisse mihi videtur Bœckhius, quum scriberet *ὡς ἄρα — ὥς τ' οὐ.* Nam *ἐπεί* falsum est et facile intelligitur ortum esse propter sequens *αὐτίκα*, quod non viderent ad facilem partum significandum dictum esse; itaque scripserunt *ἐπεί*, cui iungeretur *αὐτίκα.* Iam quum schol. habeat *ὥσπερ* (pro quo Rom. *ὅπερ*), in *περ* latet vestigium veræ lectionis, quæ fortasse fuit: *ὥς ποτε σπλάγχνων — ὥς τ' οὐ λαθών*, ut coordinata sint enunciati membra.

Nem. III. Musam invocat, ut conferat sese Aeginam, ubi exspectet eam chorus iuvenum ad canendum et saltandum paratorum. Rogat igitur, ut sibi præeat cantum uberem, quem ipse rursus choro præcipiat accinentibus tibiis æolicis et lyra.

v. 10. *ἄρχε δ' οὐρανοῦ πολυνεφέλα κρέοντι, θύγατερ,*
δόκιμον ὕμνον· ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν ὀάροις
λύρᾳ τε κοινάσομαι. χαρίεντα δ' ἕξει πόνον
χώρας ἄγαλμα, Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι
ᾤκησαν, κτέ.

Dissentiunt de vv., *χαρίεντα δ' ἕξει πόνον χώρας ἄγαλμα.* Nam *πόνον ἕξει* quis? Dissenius, Iupiter, inquit, gratum acceptumque hunc Musæ habebit laborem. Merito autem hac in sententia Bœckhium offendit locutio *πόνον ἕξει*, quia *πόνον ἔχειν* admixtam habeat notionem molestiæ, oneris, operis, coll. P. II, 79, *εἰνάλιον πόνον ἐχοίσας σκευᾶς.* Adde etiam Theocr. Id. VII, 139, *τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον.*

Quare de Iove gratum habituro carmen intelligi nequit. Contra Bœckhius χώρας ἄγαλμα facit subiectum, intelligens chorum, qui dum hæc canat Aeginæ ornamento sit. Sed recte displicuit Dissenio chori per vv. χώρας ἄγαλμα significatio. Nec vero placet, quod Matthiæo visum scriptt. misce. p. 98, hymnum vocari χώρας ἄγαλμα. Nam etsi N. VIII, 15 vv. πατρὸς Μέγα Νεμεαῖον ἄγαλμα carmen significant, senties tamen hic insuavius et insolentius dici: χώρας ἄγαλμα ἕξει πόνον χαρίεντα pro: cantus laborem iucundum præbebit. Recte Dissenius in ea perstat sententia, ut verba χώρας ἄγαλμα ex Pindaricæ orationis lege vix aliter quam pro appositione accipi possint verborum χαρίεντα πόνον. Heimsoethius denique subiectum facit λύραν, numeris id demonstari contendens, quod quomodo efficiatur non video. Sententiarum autem nexu accuratius inspecto videbis nec Iovem, nec chorum, nec lyram esse subiectum, sed quod Matthiæus voluit, τὸν ὕμνον. Huc enim omnia ducunt. V. 7, dixerat: victoria maxime desiderat ἀοιδάν, v. 10, ἄρχε δόκιμον ὕμνον, deinde v. 11, μιν, sc. τὸν ὕμνον. Itaque hic habebit dulcem operam, regionis decus et ornamentum. Ea enim est materia, id argumentum, in quo elaborabit ὕμνος. Confirmatur id v. 30 et v. 31, οἴκοθεν μάτευε, quo significatur non aliunde, sed ex ipsa Aegina, victoris patria, petendum decus. Et plane sic infra v. 65, ἀγών, τὸν ὕμνος ἔβαλεν ὀπὶ νέων ἐπιχώριον χάρμα κελαδέων. Similiter interpretes laborarunt de sententiæ subiecto N. VII, 10, ubi monente Kaysero ex Αἰακιδᾶν subint. Αἰακίδαι ad ἐθέλοντι. — Nihilominus suspicor N. III, 12, scribendum esse χαρίεντα δ' ἕξεις πόνον, sc. Μοῖσα.

Nem. V, 31. πολλὰ γάρ μιν παντὶ θυμῷ
παρφαμένα λιτάνευεν. τοῦ μὲν ὀργὰν κνίζον αἰπεινοὶ λόγοι.

In libris est τοῦ δὲ ὀργάν. Bœckhius posuit τοῦ μὲν ὀργάν. Sed recte Kayserus particulæ μέν hic locum esse negavit et potius δέ requiri docuit. Hermannus opp. I, p. 250, τοῖο δ' ὀργάν scripsit. Kayserus autem ingeniose sane suspicatur pro παντὶ θυμῷ legendum esse παντὶ μύθῳ, pro τοῦ δὲ ὀργάν autem τοῦ δὲ θυμόν, omnino ad sensum apte. Tamen puto etiam librorum lectionem defendi posse, modo liceat scribere τοῦ δ' ἄρ' ὀργάν. Pyth. III, 27, ἐν δ' ἄρα, al. ὀργά autem latiore sensu, quem Kayserus requirit, legitur Isthm. II, 35, ὅσον ὀργὰν Ξεινοκράτης ὑπὲρ ἀνθρώπων γλυκεῖαν ἔσχεν. Ceterum ut hic παντὶ θυμῷ αἰνεῖν est etiam Pyth. IX, 96.

Obiter moneo v. 32, παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς γέγαθε Πηλεὺς ἄναξ, ὑπέραλλον αἰχμὰν ταμών, Dissenium non recte verba iunxisse: *lætatus est quum abscidisset.* Est potius: Peleus gaudet inter victorias vel virtutes antiquas, i. e. celebratur inter cett. Recte etiam Kayserus: „Hic scholiastes audiendus erat: ἔτι πάλαι, φησὶν, ὑμνεῖται ὁ Πηλεὺς καὶ ὑμνεῖτο.“

Nem. VI. Non omnia recte de singulis e Bassidarum gente victoribus videntur explicasse Bœckhius et Dissenius. Sed missis nunc quidem reliquis modo unum tractabimus. Ad v. 41 sqq. dicunt ex prioribus Bassidis instar omnium excitari duos eximios viros, Calliam Pythiis et Creontidam Isthmiis et Nemeis victorem. Verba græca hæc sunt: Πυθῶνι κράτησεν — Καλλίας —, παρὰ Κασταλίας τε Χαρίτων
ἑσπέριος ὁμάδῳ φλέγεν·
πόντου τε γέφυρ' ἀκάμαντος ἐν ἀμφικτιόνων
ταυροφόνῳ τριετηρίδι Κρεοντίδαν
τίμασε Ποσειδάνιον ἂν τέμενος·
βοτάνα τέ νιν

πόϑ' ἁ λέοντος
νικάσαντ' ἔρεφ' ἀσκίοις
Φλιοῦντος ὑπ' ὠγυγίοις ὄρεσιν.

Mirum hic, quod, quum de Calliæ victoria Pythia dixisset, ad Creontidæ victorias commemorandas poëta progreditur non tanquam de novi victoris novis victoriis dicturus, quod particula *δέ* indicandum erat, sed quasi de eodem victore dicere pergeret. Possis hinc suspicari v. 40 post *πόντον* pro *τε* scribendum esse *δέ*. Sed falsa ea est coniectura quamvis facilis, nam et Isthmia et Nemea victoria tribuenda est Calliæ. Quanquam errant scholiastæ Alcimidam, qui Theonis filius fuit, Creontidam appellantes, sed ipsi Corinthii sic appellantur a Creonte prisco rege, de quo est in Eurip. Med. Scribendum igitur, ut subditicius Creontidas tandem evanescat, *Κρεοντιδᾶν*, i. e. Corinthiorum, penes quos erat Isthmiorum certaminum iudicium. Sic intelligitur, cur singula membra particulis *τε* — *τε* iuncta sint.

V. 51. Nomen Aeacidarum *καὶ ἐς Αἰϑίοπας*
Μέμνονος οὐκ ἀπονοστήσαντος ἐπᾶλτο· βαρὺ δέ σφι δεῖξε νεῖκος
χαμαὶ καταβὰς Ἀχιλεὺς ἀφ' ἁρμάτων
φαεννᾶς υἱὸν εὖτ' ἐνάριξεν Ἀόος.

Sic scripsit hunc locum Dissenius, nam in libris corrupte legitur: *βαρὺ δέ σφι νεῖκος ἔμπεσ' Ἀχιλλεὺς χαμαὶ καββὰς ἀφ' ἁρμάτων.* Quam lectionem Kayserus nuperrime tuetur verborum ordine mutato sic: *βαρὺ δ' ἔμπεσέ σφι νεῖκος.* Sed repugnat huic transpositioni ratio metrica, quum per omnes strophas et antistrophas sic incisum sit:

στρ. ά. ἄμμε πότμος . . . . *ἀντιστρ. ά. νῦν πέφανται*
β'. Μοῖσ', ἄγ', οὖρον . . . . *β'. αἷμα πάτρας*
γ'. ἄγγελος βᾶν.

Itaque *στρ. γ'.* suspecta est emendatio *ἔμπε* || *σέ σφι νεῖκος.* Non violat rationem metricam Dissenii *δεῖξε*, sed falsus est vir optimus ex Pindari verbis apud scholiastam *δεῖξε* adservatum esse existimans, cuius verba hæc sunt: *βαρεῖαν δὲ καὶ ἐπαχϑῆ μάχην διὰ φιλονεικίαν αὐτοῖς ἐπέδειξεν ὁ Ἀχιλλεύς.* Vides *ἐπέδειξεν* inservire circumlocutioni interpretis liberiori, nec probari eo, quod Dissenius voluit. Mihi vero videtur antiquitus verbum finitum intercidisse, quale sit Pindaro usitatissimum *ϑῆκε*, *ἔμπεσε* autem ortum ex glossemate verbi *ἐπᾶλτο*, quod dubitat schol. sitne scribendum ab *ἐφάλλεσϑαι ἐπᾶλτο*, an *ἔπαλτο* a *πάλλεσϑαι*, *ἐβλήϑη τὸ κλέος αὐτῶν.*

Vitiosus etiam qui sequitur versus, quem Bœckhius sic scripsit: *χαμαὶ καταβὰς Ἀχιλεύς*, incipit enim a iambo, quum in illa sede ubique sit spondeus. str. *ά. οἵαν*, ant. *οὐκ ἄμμορος. β'. εὐκλεῖα*, ant. *χρυσαλακάτου. γ'.* ant. *πέμπτον γ'*, unde patet etiam str. *γ'* reponendum esse spondeum, quem suppeditant libri exhibentes *καββάς*, quod non verisimile est a librariis factum esse ex *καταβάς*. Excidit autem syllaba longa a vocali incipiens ante *Ἀχιλεύς*, quam facile dabis fuisse particulam *ἆρα* sententiæ loci gravitatique perquam convenientem. Scribam ergo:

βαρὺ δέ σφι ϑῆκε νεῖκος
καββὰς χαμαὶ ἆρ' Ἀχιλεὺς ἀφ' ἁρμάτων.

Nisi malis *καββὰς χαμάδις ῥ' Ἀχιλεύς.* —

Hæc æstate superiore scripta quum rursus perpenderem, diligentius inspicienti scholia videbatur mihi neque a scholiasta lectum esse verbum finitum et in librorum lectione *ἔμπεσ'* quærendum vestigium veri. Videbatur enim, quia desideraretur verbum

finitum, vocabulum qualecunque in *ἔμπεσ'* depravatum esse. Facile igitur, incidi in *ἔμπαν* vel *ἔμπας* toties Pindaro usurpatum. Sed quum male sonare videretur *ἔμπας καββάς*, quæsiturus num vitari id posset, si formæ *καββαίς*, quam Dissenio referente proposuit Pauwius, aliqua ex libris auctoritas accederet, evolvi Bœckhii notas criticas, ibique tandem p. 534 (quod me antea plane fugerat, quia non suo loco ad versum 52, sed in fine disputationis metricæ posita est ea de varietate lectionis disceptatio) reperi ab Hermanno, cuius careo editione, iam pridem coniectum, quod ego modo inveneram *βαρὺ δέ σφι νεῖκος ἔμπας.* Et Hermanno quidem debetur decus inventionis primæ, mihi autem contigit lætitia inventionis iteratæ, nec tamen sine aliqua indignatione, quod neglectam viderem ab editoribus hucusque omnibus emendationem certissimam. Nam augetur gravitas orationis, et minacius, ut ita dicam, poëta de Achillis virtute prædicat verbo finito omisso.

Ex carmine difficiliore Nem. VII saltem unum locum nunc tractabo. Fuere qui acriter poëtam accusarent, quod Neoptolemi famam in carmine aliquo impie læsisset. A qua se calumnia impense defendens magnifice res Neoptolemi narrat. Occisum autem eum esse Delphis, quum eo profectus esset manubias Troia excisa reportatas Apollini oblaturus, a sacerdote quodam rixa de carnium sacrarum portione orta. Graviter eum casum tulisse Delphos. Sed in fatis fuisse, voluisse enim Apollinem, ut Delphis in loco sacro prope templum aliquis in posterum esset ex Aeacidis. V. 46 sqq.

ἡρωΐαις δὲ πομπαῖς
θεμίσκοπον οἰκεῖν ἐόντα πολυθύτοις
εὐώνυμον ἐς δίκαν. τρία ἔπεα διαρκέσει.
οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ.
Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων θρασύ μοι τόδ' εἰπεῖν
φαενναῖς ἀρεταῖς ὁδὸν κυρίαν λόγων
οἴκοθεν· ἀλλὰ γὰρ κτέ.

Nolo virorum doctorum varias sententias recoquere. Novissime de hoc loco dixit Heimsoeth, qui comma ponit post *ἐπιστατεῖ* et pro *λόγων* scribit *λέγων.* Affirmat sic tantum se Pindari verba intelligere, sed quomodo intelligeret non dixit. Ego vero Heimsoethicum non intelligo, nec video quid eius ratione lucremur. Quæritur quæ sint illa tria verba, quæ rei comprobandæ ex poëtæ sententia sufficiant. Respondebis, ea quæ versu 49 leguntur: *οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ.* Rursus autem quæras, quis ille *μάρτυς* sit. Neoptolemus ipse, si Dissenium audias, *non mendax testis certaminibus præest.* Hoc si verum est, non video, quid velit articulus *ὁ μάρτυς*, qui abesse debet, si Neoptolemus *μάρτυς οὐ ψεῦδις ἔργμασιν ἐπιστατεῖ.* At testis ille, qui nunquam fallitur, quem mendacium nullum tangit, est Apollo ipse cf. P. III, 29. IX, 42. Sic recte se habet articulus, et iustam gravemque, quum Apollo ipse rerum narratarum testis sit, Pindari de Neoptolemo narratio accipit conclusionem. Iam enim ad alia se convertit poëta. Nam quum Sogenes, cuius victoria hoc carmine celebratur, sit Aegineta, Aeginetis autem potissimum laudandi essent Aeacidæ, quorum fabulas omnibus fere Aeginetarum victorum laudationibus intexere solet Pindarus, nunc eam consuetudinem relinquit, nec de Aeaco, de Peleo, de Achille, de Telamone, de Aiace prædicare pergit, quorum laudes Aeginetæ exspectabant, sed oratione finita de Neoptolemo, qui Aeacida quidem fuit, sed qui non adeo domesticus heros Aeginetis videretur ut illi et de quo externas potius fabulas narravisset, silentium de illis excusat suavissima

EMENDATIONES

IN

PINDARUM.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS RAUCHENSTEIN.

ἐς δὲ τοπὰν ἑρμηνέων χατίζει.

Pind. Ol. II, 85.

et honorificentissima præteritionis formula usus, iustam quidem et insignem laudem Aeacidarum esse domesticam, sed etiam dulcissimarum rerum fieri satietatem. Vides sic artificiose Aeginetarum heroibus præter exspectationem novam aliquam laudem a poeta comparatam esse rebus Neoptolemi expositis. Apparet autem, quia nova materia inchoatur, recte eos fecisse qui post *ἐπιστατεῖ* plene interpungerent.

De consilio carminis Nem. VIII plura dicenda sunt, quæ nunc omitto. Tamen singula hæc tangam. Vs. 20, *πολλὰ γὰρ πολλᾷ λέλεκται* noli cum Dissenio et scholiastarum uno accipere de Cinyra tantum, sed generaliter de laudationibus petendis ex rebus mythicis. Nam Aeacidarum res in victoriis Aeginetarum a Pindaro et ab aliis poëtis tam sæpe tractatæ erant, ut ratio ac via nova eiusdem argumenti tractandi excogitari vix posset. Tamen transit ad Aiacem, idque egregie hunc in modum facit. Nescire se simulat, quomodo apte laudet Dinidem victorem iuvenem eiusque patriam Aeginam, quæ simulatio h. l. apta est, quod dubitare videtur et hæsitare angore quodam animi ac metu invidiæ. Non tamen audet novam fabularum viam ingredi; itaque sumit tritam illam quidem de Aiace, sed insignem in modum nove tractat rebus præsentibus accomodatam. Sic ex longinquo anquirere visus, tanquam aquila post longiores volatus rupes notas sedes repetens, in proximo invenit fabulam, quam præter exspectationem invidiæ virtutis restinguendæ et refringendæ adaptat.

V. 11. Principes populorum vicinorum

ἤθελον κείνου γε πείθεσθ᾽ ἀναξίαις ἑκόντες
οἵ τε κρανααῖς ἐν Ἀθάναισιν ἅρμοζον στρατόν.

Non cogitandum, ut Dissenio visum est, de prisca Athenarum laude tactica ab hoc loco aliena, in quam sententiam Dissenius delatus est, quia nimius fuit in referendo carminis argumento ad contentionem Aeginetarum cum Atheniensibus. Sunt simpliciter antiqui Atheniensium principes moderantes populum, qui hic ut toties dicitur *στρατός*.

V. 28. Aiax et Ulixes

ἦ μὰν ἀνόμοιά γε δάοισιν ἐν θερμῷ χροῒ
ἕλκεα ῥῆξαν πολεμιζόμενοι
ὑπ᾽ ἀλεξιμβρότῳ λόγχᾳ.

πελεμιζόμενοι coniecit Wakefield, *πολεμιζόμενοι* defendit Kayser laudans Aristarchi interpretationem: *ἀνόμοια πλήγματα τοῖς πολεμίοις ὅ τε Ὀδυσσεὺς καὶ ὁ Αἴας ὑπὸ ἀλεξιμβρότου λόγχης κινούμενοι.* Sed ipsum hoc *κινούμενοι* suffragatur Wakefieldii emendationi. Displicet Kaysero, quod *πελεμίζεσθαι* apud Homerum de cedentibus dici soleat. Sed habet in locis saltem Hesiodeis Theog. v. 458. 842. a Bœckhio allatis significationem motus vehementioris, qua certaminis acritas et gravitas recte describitur. Denique etiam *ὑπό* commendat eam coniecturam, quum rectius *πελεμίζεσθαι*, quam *πολεμίζεσθαι*, dicatur *ὑπὸ λόγχᾳ*.

Nem. IX, 16. *ἀνδροδάμαν δ᾽ Ἐριφύλαν*, quod Bergkius voluit, ego quoque conieceram. Nam Kayseri ratio: *κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνὴρ ἀνδροδάμαν. Ἐριφύλαν κτέ*, ferri nequit, non solum propter asyndeton ingratum, sed etiam quia generalis est et esse debet sententia: *κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ.* Nec probo quod Bergkius veterem lectionem revocavit *ἀνδροδάμαν τ᾽*.

Vs. 6. *ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων, τετελεσμένον ἐσλὸν*
μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι· θεσπεσία δ᾽ ἐπέων καύχαις ἀοιδὰ πρόσφορος.

Sic Bœckhius, at *καύχας* libri omnes et scholl. Quum autem schol. dicat: *τοῖς νενικη-*

sollemnis initium capit hymnusque sonare debet.« Sub finem autem carminis ad verba: ὑπὲρ πολλῶν τε τιμαλφεῖν λόγοις νίκαν, adnotavit: et ut aliis multis præstantius ornem hanc victoriam, *inter pocula nempe quæ iam promuntur.*« Neutrum, puto, recte. Nolo id premere, posteriorem annotationem priori quodammodo contradicere, ne quis homo plus quam acutus me carmine ineunte Chromium conscendisse currum victorialem eoque cantandi initium fieri iussisse edoceat, exeunte autem carmine iam ad eum locum vectum esse, ubi pocula pararentur, et craterem et pocula prospecta fuisse moneat posita iamiam in abaco. Verum hoc dico, multo suavius mihi videri carmen, multo gratiores et venustiores poëtæ imagines, si non adsit apparatus ille scenicus. Videt enim poëtæ animus Chromium equos conscendentem et carmen Latonæ eiusque liberis denunciantem, quia vicit, ut totum sit splendidarum et vividarum imaginum ope facta circumlocutio victoriæ curulis. Videt etiam animus poëtæ craterem et pocula et phialas argenteas, quibus omnibus pulchre significat comissationis sollemnem lætitiam.

N. X, 4, 5.

μακρὰ μὲν τὰ Περσέος ἀμφὶ Μεδοίσας Γοργόνος·
πολλὰ δ' Αἰγύπτῳ τὰ κατῴκισεν ἄστη ταῖς Ἐπάφου παλάμαις.

Quod vulgo legitur: πολλὰ δ' Αἰγύπτῳ κατῴκισθεν metro repugnat. Quum schol. habeat: πολλὰ δ' ἂν εἴη λέγειν, ὅπως ἐν τῇ Αἰγύπτῳ κατῳκίσθησαν ἄστη, Hermannus et Bœckhius ab eo ὅπα lectum esse statuerunt. Itaque Hermannus coniecit: πολλὰ δ' Αἰγύπτῳ ὅπα ἔκτιθεν, Bœckhius autem: πολλὰ δ' Αἰγύπτῳ ὅπα ᾤκισεν, et postea: πολλὰ δ' Αἰγύπτῳ τὰ κατῴκισεν. Kayserus ὅπα quidem probat, sed recte monet pro κατῳκίσθησαν requiri verbum vel passivum vel neutrum. Sed scholiastem ὅπα legisse minime adducor ut credam, facile enim patet cur ὅπως scripserit. Quum versum præcedentem legisset: μακρὰ μὲν τὰ Περσέος κτέ., quæ verba apud se statuit sic interpretanda esse: μακρὰ μὲν ἂν εἴη λέγειν ὅπως Περσεὺς τὴν Γοργόνα ἀπέκτεινεν, apparet eum sic pergere debuisse: πολλὰ δ' ἂν εἴη λέγειν ὅπως κτέ. Itaque credo locum a scholiasta æque corrupte lectum esse atque nunc legitur. Corruptionis omnibus libris et scholiastis vetustate superioris causa videtur hæc fuisse, quod glossema κατῴκισθεν receptum est in locum verbi, quod exciderat. Id autem fuerit ναίεσθαι. Fortasse legendum: πολλὰ δ' Αἴγυπτον κάτα ναίεται ἄστη, nisi malis: πολλὰ δ' Αἴγυπτον κάτα ναιόμεν' ἄστη.

Isthm. II, 18. εὐρυσθένης εἶδ' Ἀπόλλων. Quum schol. dicat: ἐν τῇ Κρίσᾳ εὐμενῶς ὁ Ἀπόλλων ἐθεάσατο τὸν Ξενοκράτην, Kayserus suspicatur: εὔφρων ἄναξ εἶδ' Ἀπόλλων. Frustra. Schol. enim εἶδε, quod sic nude positum explicatione egere videretur, explicare voluit.

Isthm. III. νῦν δ' αὖ μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον χθὼν ὥτε φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις δαιμόνων βουλαῖς. Illud ποικίλων Kayserus mutandum suspicatur in φοινίων, intolerabile dicens existere hyperbaton, si ποικίλων μηνῶν ad ἄνθησεν referatur. Sed refragatur imagini a tempestatum vicissitudine sumtæ φοινίων. Et μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον est: post hiemalem caliginem reversis mensibus floridis, quasi addito ὄντων. Hanc dicendi formulam iam Dissenius illustraverat id ed. Bœckh. allatis exemplis θέρους, χειμῶνος, ἔαρος, aliis. Structuram autem a Dissenio discedens facio hancce: νῦν δ' αὖ (ἀνθεῖ ἡ ἑστία) δαιμόνων βουλαῖς, ὥτε μετὰ χειμέριον ζόφον ποικίλων μηνῶν χθὼν φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις. Aoristus ἄνθησεν significat pertinere hoc verbum ad imaginem, non ad rem imagine illustrandam. Non

assequor autem Heimsoethii sententiam dicentis: „Subiectum non ἑστία, sed χθών. Ipsa imago pro re significata imponitur, et intra imaginem dicitur ὥτε φοινικέοισι ῥόδοις.“ Verum quidem est ea verba intra imaginem dici, sed imaginem ipsam pro re significata positam dicere non licet per ὥτε, qua particula comparationem hic institui monemur. Ergo commata post αὖ et ante δαιμόνων ponenda.

Melissus Thebanus pancratio vicit. Iam v. 63 sqq. auctore Hermanno ad Vig. p. 939. Dissenius et Bergkius sic scripserunt:

τόλμᾳ γὰρ εἰκὼς
θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρᾷ λεόντων
ἐν πόνῳ· μῆτιν δ᾽ ἀλώπηξ, αἰετοῦ ἅ τ᾽ ἀναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει.
χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντα μαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.

θηρᾷ præbet unus e scholiastis, nam libri θηρᾶν. Recte in Hermanni lectione non acquievit Kayserus, qui sic scripsit: τόλμαν ὁμοῖος θυμῷ ἐριβρεμετᾶν θηρῶν ἱμάντος ἐν πόνῳ, omisso λεόντων, pro quo infert ἱμάντος, cæstum dici statuens coll. N. VI, 36, ut significetur pancratiasta, qui erectus pugnet et supinus; et erectus quidem cæstu utatur, humi maxime pedibus luctetur. Sed metro repugnat ἱμάντος, et λεόντων, quod glossam sapere visum est viro docto et occupare locum vocabuli ἱμάντος, genuinum est. Nam loci, quibus demonstrare studet, ἐριβρεμετᾶν θηρῶν sufficere ad leones significandos, dissimiles sunt huic loco. Ut J. VI, 47, ubi Hercules de pelle sua leonina loquitur, ὥσπερ τόδε δέρμα με νῦν περιπλανᾶται θηρός, ὃν πάμπρωτον ἄθλων κτεῖνά ποτ᾽ ἐν Νεμέᾳ, vides huc nihil facere. Et P. V, 57, leones simpliciter θῆρας dicere potuit Pindarus, quum tribus versibus ante λέοντες diserte dicti fuissent. Postremo P, IX, 58, ubi poëta Libyam οὐκ ἀγνῶτα θηρῶν appellat, non solum leones, sed etiam aliæ feræ debent intelligi. Contra O. X, extr. diserte dicuntur ἐρίβρομοι λέοντες. Minime ergo suspectum λεόντων, et pulchre poëta dixit ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων, gravibus nominibus et magnificis usus ad laudandam egregiam Melissi fortitudinem. θηρᾷ autem, quod præbet scholiastarum is, qui etiam de leonum venatione vix opportune cogitavit, ortum est ex θηρᾶν, idque rursus propter præcedens ἐριβρεμετᾶν librarii facile scribere potuerunt pro genuino θηρῶν. Vitium autem latere videtur in εἰκώς, qua forma Pindarus alibi usus non est. Præterea in explicando vocabulo sententiis differunt scholiastæ; alius habet ὅμοιος, alius οἰκεῖος, unus εἰκώς, quod ipsum inde in textum venisse suspiceris. Aliud igitur eo expulsum est. Scripserim

τόλμᾳ γὰρ οἷος
θυμὸς ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων
ἐν πόνῳ, μῆτιν δ᾽ ἀλώπηξ.

Sive mavis τόλμαν. Totum illud θυμὸς ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων grandiloqua quædam circumlocutio est tenuioris λέοντος. Ad structuram denique cf. Isthm. fragm. 4, v. 6, ubi Aeginetæ dicuntur οἷοι δ᾽ ἀρετὰν δελφῖνες ἐν πόντῳ.

Isthm. IV, 59 sqq. αἰνέω καὶ Πυθέαν ἐν γυιοδάμαις
Φυλακίδᾳ πλαγᾶν δρόμον εὐθυπορῆσαι
χερσὶ δεξιόν, νόῳ ἀντίπαλον.

Sic cum schol. et cum Schmidio distinguendum, a quibus non recte discesserunt editores posteriores, distinguentes χερσί, δεξιὸν νόῳ ἀντίπαλον, scilicet ut iungerent ἐν γυιοδάμαις χερσί. Hoc autem durum est, quia non facile dixeris, quid sibi velit ἐν, nec

vero ulla necessitate postulatur illa iunctura verborum. Nam fac abesse verbum ultimum, reliqui duo iustum sensum præbent: *Laudo etiam Pytheam, quod inter pancratiastas Phylacidæ verberum celerem cursum recta via præivit.* Nec video, quid obstet, quominus *γυιοδάμαις* substantive dictum accipiamus *membrorum domitores*, quo et facete et graviter significantur pancratiastæ. Deest quidem formæ *ὁ γυιοδάμας, τοῦ γυιοδάμου*, exemplum, nec Lobeckius suppeditat Paralip. p. 262, sed habemus saltem P. V, 33 sive *χεριάρα* sive *χεριαρᾶν*, et, quanquam passiva significatione, *χαλκοαρᾶν* J. III, 81 et *χαλκοάραν* J. IV, 41. Iam recte additur in laudem Pytheæ versus tertius *χερσὶ δεξιόν, νόῳ ἀντίπαλον*, in quo ægre feras Hermanniana interpunctione tolli membrorum æquabilitatem. Et sensus rectissimus est, modo sic interpretere: *manibus dexterum, mente parem*, i. e. cuius mens æque dextera est ac sunt manus. Iam senties eximia cum gravitate Pytheæ laudibus hunc versum esse additum, membrorum æqualitate plane perfectum, ut in simili re O. IX, 110, 111.

τόνδ᾽ ἀνέρα δαιμονίᾳ γεγάμεν
εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ᾽ ἀλκάν,

Sicut autem poëta hic *νόῳ ἀντίπαλον* dixit, sic etiam est in Ergini victoris oratione, qua alloquitur Hypsipylam Lemniarum reginam O. IV, 24 sqq. *Οὗτος ἐγὼν ταχυτᾶτι· χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον*, nisi altera præferenda interpungendi ratio: *Οὗτος ἐγώ· ταχυτᾶτι χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον*, quam scholiastæ et Cod. Pal. C habent, et rursus commendavit Kayserus interpretans: *celeritati meæ manus et animus par est.* Similius etiam est Tac. Ann. I, 13, *artibus egregiis et pari* (i. e. egregia) *fama publice.*

Ceterum quod schol. ad J. IV, 61 (77) explicat: *τουτέστιν ἴσα ἐπιτάγματα ἔχοντα ἐν τῷ νοεῖν καὶ τοῖς ἐπιτάγμασι τῶν χειρῶν*, ubi Fæhsius pro *ἐπιτάγμασι* voluit *ἐπιτύμμασι*, fortasse scribendum *ἐπιδείγμασι*.

Isthm. VII, 46. *φαντὶ γὰρ ξύν᾽ ἀλέγειν καὶ γάμον Θέτιος ἄνακτα.* Recte Kayserus *ἄνακτα* mendosum esse eosque errare demonstrat, qui aut Peleum aut Iovem intelligant, satisque probabilis eius est coniectura *ἄνακτι* sc. Peleo. Mihi potius scribendum videtur *ἄνακτε*, rex uterque, Neptunus et Iupiter. Nam quum ii certassent de Thetide, maxime attinebat addere, utrumque deum non solum reveritum connubium cum Thetide, sed coniunctim (*ξυνά*) etiam nuptias eius cum Peleo ineundas (*καὶ γάμον*) adiuvisse.

Unum addam, quod supra pollicitus sum me tractaturum esse. Nondum animadverterunt ad morem quendam Pindari, de quo nunc pluribus agam. Fit enim apud eum nonnunquam in rerum et personarum descriptionibus, ut res vel personæ pluribus laudibus ante monstrentur et prædicationibus prius significentur, quam in extrema denique sententiæ parte addatur nomen rei vel personæ. Est id insigne poëtæ artificium, ut dum singulas notas quasi picturam linteo illitam paullatim ante oculos nostros devolvit, non solum animum auditoris magis magisque attentum faciat, sed etiam simul cum explicatiore rei significatæ cognitione augeat intelligendi suavitatem, quæ plena denique et perfecta fit, ubi res absolvitur nomine ad extremum cum gravitate addito. Huius generis exempla passim apud Pindarum reperiuntur, quorum nonulla afferam. O. VII, 13, 14. *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν τὰν ποντίαν ὑμνέων, παῖδ᾽ Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν, Ῥόδον.* P. XI, 15, 16. *ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραισι Πυλάδα νικῶν ξένον Ὀρέστα.* J. III, 71. *Θηβᾶν ἀπὸ Καδμεϊᾶν μορφὰν βραχύς, ψυχὰν δ᾽ ἄκαμπτος, προςπαλαίσων ἦλθ᾽ ἀνὴρ τὰν πυροφόρον Λιβύαν — υἱὸς Ἀλκμήνας.* De P. X,

12—16 iam supra p. 17 dictum est. Similiter Horatius Od. III, 4, 64 sqq. Nunquam humeris positurus arcum, qui rore puro Castaliæ lavit Crines solutos, qui Lyciæ tenet Dumeta natalemque silvam, Delius et Patareus Apollo. Sed ea ratio quum non cognosceretur, plus quam semel aut lectioni aut interpretationi veræ offecit, ut O. XI, 24 sqq. *ἀγῶνα δ' ἐξαίρετον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν Διός, ὃν ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος * βίῃ Ἡρακλέος ἐκτίσσατο * ἐπεὶ Ποσειδάνιον — πέφνε, ὡς Αὐγέαν — μισθὸν — πράσσοιτο, λόχμαισι δὲ δοκεύσαις — δάμασε — Ἡρακλέης ἐφ' ὁδῷ.* Verba asteriscis inclusa corrupta videntur a grammaticis maxime hanc ob causam, quia nimis longe dilatum iis videbatur nomen Herculis, itaque illud nomen infarcire conabantur loco importunissimo. Atque egregie quidem partem veri invenit proximeque accessit Kayserus scribens: *ἔθηχ' ἐξάριθμον Ἡρακλέης*, nisi quod res ei non prorsus recte ideo cessit, quod Herculis nomen non dimisit. Contra Bergkius verum ipsum mihi videtur invenisse, quod sensit incommodum esse nomen *Ἡρακλέης*, itaque scripsit *πατὴρ ἐξάριθμον ἐκτίσσατο*, qua emendatione periodus magnifica restituta est.

Eadem est fere ratio loci, de quo nunc dicam, Nem. X, 13 sqq.

(Ζεὺς) θρέψε δ' αἰχμὰν Ἀμφιτρύωνος. ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος
ἵκετ' ἐς κείνου γενεάν, ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις
Τηλεβόας ἔναρεν, καὶ οἱ ὄψιν ἐειδόμενος
ἀθανάτων βασιλεὺς αὐλὰν ἐσῆλθεν
σπέρμ' ἀδείμαντον φέρων Ἡρακλέος.

Quis sit ille *ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος* iam diu ambigitur. Amphitryonem esse, qui venerit in Iovis affinitatem propter Herculem ex Alcmena generatum post scholiastem interpretes plerique statuerunt. Cui interpretationi quid obstet, bene docet Kayserus. Idem refutavit eorum opiniones, qui Iovem iis verbis significari putaverunt. Quare ipse coniecit *ὁ δ' ὄλβος φέρτατος*. Facile mehercule et ingeniose, licet non vere. Nimirum *ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος* non est neque Amphitruo, nec Iupiter, sed is, qui in fine periodi significatur, Hercules ipse, qui venit in Amphitruonis familiam a Iove generatus. Statim additur v. 17, cur *ὄλβῳ φέρτατος* sit: *οὖ κατ' Ὄλυμπον ἄλοχος Ἥβα τελείᾳ παρὰ ματέρι βαίνοισ' ἔστι, καλλίστα θεῶν.* Solet enim sic constanter Pindarus Herculis beatitudinem significare, ut J. III, 76. *νῦν δὲ παρ' Αἰγιόχῳ κάλλιστον ὄλβον ἀμφέπων ναίει, τετίματαί τε πρὸς ἀθανάτων φίλος, Ἥβαν τ' ὀπυίει.* Et N. I, 71. *δεξάμενον θαλερὰν Ἥβαν ἄκοιτιν.*

Quamquam ne sic quidem omni vitio vacat oratio, sed laborat mutilata periodo. Nam v. 15 in libris est *Τηλεβόας ἔναρεν. τί οἱ ὄψιν*, aut *Τ. ἔναρε τί οἱ ὄψιν*. Varia coniecerunt. Hermannus *ἔναρεν. τῷ δ' ὄψιν*, Bœckhius, quem sequuti sunt Dissenius, Bergkius, *ἔναρεν. καί οἱ ὄψιν*, ut *οἱ ὄψιν* per crasin coalesceret. Sed non immerito displicuit ea crasis Hermanno El. d. metr. p. 55. Kayserus ad Hermanni *τῷ δ' ὄψιν* regreditur. Sed displicet rursus discerptum in sententias minusculas enunciatum amplum et grave. Veræ lectionis vestigium rursus produnt libri exhibentes *ἔναρεν τί οἱ*, unde facile efficias *Τηλεβόας ἐναρίζοντι ὄψιν*, vel quod aptius est et propius accedit ad librorum literas, *ἐναρόντι οἱ ὄψιν.* Et *ἐναρόντι*, quod postea vidi, referente Schmidio coniecerat etiam Rittershusius. At metrum laborat? Minime vero, quum admittenda sit synizesis in syllabis *τι οἱ*, cf. Herm. El. d. m. l. l. Similis plane synizesis admittenda J. II, 12. *ἐσσὶ γὰρ ὢν σοφός, οὐκ ἀγνῶτι ἀείδω*, quod e schol.

et ex usu Pindari pro vulg. ἀγνῶτ' recte restitui voluit Kayserus. Cf. etiam, quæ alia ratione commotus in eandem sententiam disputavi in introd. p. 65. — Sic rotunda Pindaroque digna existit periodus hac sententia: *Hercules felicitate summus venit in gentem Amphitruonis, quum in armis Teleboas occidenti ei facie assimulatus immortalium rex aulam intravit.*

Sed nunc tandem finis sit sive coniiciendi sive iaculandi. Quanquam non ingratus fuit is labor.

ἀλλὰ γαρ ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ· κόρον δ' ἔχει καὶ μέλι.

COMMENTATIONUM PINDARICARUM

PARTICULA ALTERA.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS RAUCHENSTEIN,

PHIL. DR. GYMNAS. ARGOV. PROF. ET H. T. RECTOR.

AROVIÆ

APUD H. R. SAUERLÆNDER.

MDCCCXLV.

ANNOTATIONES

IN

PINDARI OLYMPIA.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS RAUCHENSTEIN.

Quum ea quæ de Pindaro commentatus in vulgus edideram, viris nonnullis doctissimis, studiorum in hoc poeta vel emendando vel interpretando positorum existimatoribus intelligentissimis non inutilia visa esse viderem, in hoc opere pergere decrevi, quum præsertim fere quotannis partem aliquam scholarum Græcarum explicationi Pindari destinare solerem. Et in priore quidem commentationum particula per omnia fere carmina vagati locos singulos decerpsimus correctione egere visos, distulimus autem multos, de quorum interpretatione ab aliorum sententiis discederemus. Nunc autem intra Olympica fere carmina nos continentes ad interpretationem potissimum animum applicavimus, non vitato quidem emendandi ubi res ferebat negotio, sed sic ut munus utrumque, quæ utilissima ratio videbatur, coniungeremus. Nec vero mirum in hoc poëta tot adhuc locos reperiri, de quibus interpretandis aliter statuas atque viris doctissimis placuit. Insunt enim multa et rebus obscura et verbis ambigue dicta, multa denique, de quibus nisi sæpius ac diversis temporibus repetita lectione et probe perspecta singulorum carminum natura partiumque, quibus singula constant, ratione multum pensata certius quidquam pronunciare vix audeas. Sero multis in locis certior, ex qua confidenter diiudicare videaris, ratio sese obtulerit. Ac nescio an aliis idem, quod mihi, obtigerit, ut de uno alterove loco plus quam semel sententia mutanda esset. Proinde nec pudet, ex iis quæ ante edidimus, nonnulla retractare, nec timendum ne vitio detur, quod aliorum quamvis doctorum inventa ac placita refutare conati et in antiquissimorum interpretum sententias nonnunquam relapsi sumus. Sunt quidem multa a scholiastis veteribus ut male lecta ita prave intellecta. Sed tamen quum et nostra et nova, quæ videbatur, via proficisceremur, sæpe accidit, ut in eandem postremo interpretationem deveniremus, quam postea in scholiis vetustis aliquo modo indicatam vidimus, a quibus persæpe immerito interpretes recentiores defecerunt. Eorum igitur haud levis est in interpretatione auctoritas, quam maximam esse in lectionibus diiudicandis post Bœckhii et Godofredi Hermanni curas egregias satis constat. Quod uberiore disputationis genere hic illic usi sumus, ut sunt fortasse, qui vituperent, ita plures spero fore qui laudent. Consulendum erat etiam utilitati adulescentulorum Pindari lectioni initiandorum, quos in enodandis multorum locorum tricis non tam brevitas succincta, quam expositio copiosa iuvare solet. Quanquam sunt qui dubitent omnino, iique gravissimæ auctoritatis viri, de lectione Pindari in gymnasiis admittenda. De qua re video vel propter variam gymnasiorum conditionem, vel propter ingeniorum diversitatem, quæ est in discipulis, vel propter alias causas conveniri vix posse. Verum non infeliciter egerit, quod quisque libenter fecerit, atque usu toties experto est cur mihi credam. Nostros saltem, qui sunt primi ordinis, discipulos et libentissime et cum fructu in hoc poëta versari

constanter animadvertimus. Hanc autem in exercitationibus scholasticis semper servavimus legem, ut nunquam progrederemur ad intuendum totum, nisi singulis ante enucleatis. Sed ut verum est, quod in hoc genere literarum imprimis valet, per partes tantum perveniri ad totum, ita non obliviscendum, imperfectam manere vel diligentissimam interpretationem, nisi perspectis carminis partibus ad totum illud, quod dicimus, penitus cognoscendum ducantur discipuli atque ex toto rursus partes singulæ illustrentur et intelligantur. Sic demum interpretatio fit absoluta et intelligendi existit voluptas.

Olymp. I.

Victoria, quæ hac oda celebratur, ad Ol. 77. probabili ratione a Bœckhio refertur. Sed antea Hieroni aliæ plures contigerant victoriæ. Earum tres fuerunt Pythicæ, de quibus vid. schol. et Bœckh. ad Pyth. I, una autem Olympica, quam schol. Ol. 73. reportatam esse dicit. Iam quum Pindarus ubique in recenti victoria celebranda soleat memoriam repetere victoriarum ante partarum (vide quæ diximus in introd. p. 29); quæritur quæ causa fuerit, cur relicta ea consuetudine in hoc carmine victoriarum superiorum mentionem non faceret. Omiserunt de ea re quærere interpretes quamvis memorabili. Videtur autem explicanda esse e carminis ratione et consilio ipso. Summa enim quæ per totum carmen dominatur sententia hæc est, ut ludus Olympicus omnium summus esse dicatur ceterisque omnibus ita præfulgere, ut illi obscurentur Olympici splendore, unde consequitur victoriam Olympicam esse præstantissimam. Atqui ea sententia principalis quo fortius exprimenda erat, eo magis conveniebat tacere de ceteris victoriis. Et profecto quo eam sententiam insigniret et extolleret, omnibus ornamentis usus est. Positis enim duabis hisce sententiis, *omnium rerum utilissima est aqua, et aurum inter divitias præstat, ut ignis noctu fulget*, quum subiiciuntur verba *εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν ἔλδεαι*, statim auditoris animus ea opinione afficitur, dicturum poetam, inter certamina quod sit præstantissimum. Cui opinioni satisfacit poeta, sed aliter atque exspectaveris. Nam pro eo quod simplicissimum erat, *si certamina cantare vis, nullum clarius erit Olympico*, novam instituit comparationem, solis adhibita imagine, cuius luce saluberrima ceterorum astrorum radii occæcantur, ut ille unus per immensum aerem dominetur. Eamque rursus imaginem non consueta comparationis forma, qualis hæc fuerit, intulit: *si certamina cantare vis, sicut solis radiis sidera omnia evanescunt, ita præstantissimum dicendum certamen Olympicum*, sed quod desperandum sit maius et augustius quidquam reperiri posse, vetat clariorem quam solis splendorem quærere, vetat certamen maius dicere quam Olympicum. Simili in re simili forma usus est infra v. 114. *μηκέτι πάπταινε πόρσιον*. Isth. III, 31. *μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν*. Qua ratione probe considerata magis etiam elucebit loci virtus et præstantia. Etenim iactis in exordio fundamentis per sententias duas, quibus præstantissima quæque spectare iubemur mentesque sublime a poëta elatas sentimus, quum attigisse altitudinem videmur, unde prospectus iam datur rei quam poeta monstraturus est, novo præter exspectationem atque altiore etiam volatu abripimur et in summo quasi gradu contemplationis constituti aliquantisper commoramur; cuius commorationis speciem egregie effecit poëta longiore verborum ambitu tractoque sententiæ decursu v. 5 et 6.

μηκέθ' ἄλλον σκόπει
ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον ἐρήμας δι' αἰθέρος.

imitatus quasi aquilæ in altum evolantis ac diutius patulis alis in aere suspensæ imaginem, donec ales regia, ne deseramus similitudinem, lente demissa in rupe, quo tetendit, consedit, verbis hisce: μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν. Huc enim, ad Olympiæ laudes, omnia deduxit poëta. Itaque, quum hoc fuerit poëtæ consilium, cur Olympici certaminis præstantiam tam singularibus laudibus exornaret, non opus erat, ut victorias Pythicas commemoraret, immo vero earum commemoratio poetæ consilio quodam modo repugnabat.

Prorsus igitur ad præsentem victoriam (Ol. 77.) hoc carmen applicuit, adeo ut etiam prioris illius Olympicæ omitteret mentionem, reportatæ, si schol. fides, Ol. 73. Est fortasse qui de hac antiquiore Olympica omnino dubitet eamque nullam fuisse putet, præsertim quum ne in Pyth. I quidem, quæ ad Ol. 76, 3 refertur, eius mentio fiat. Sed vix recte. Singulares enim potuerunt esse causæ, quæ regem commoverent, ut poëtam a priorum commemoratione abstinere et in præsenti tantum victoria versari vellet. Verbi causa si rex non sibi sed civitati victoriam parasse videri vellet. Et vero in Pythica illa victoria Aetnam urbem a se nuper conditam seque Aetnæum renunciari iussit. Pyth. I, 31. Rursus Ol. I Syracusanus dicitur v. 23. At priore illa Olympica quum potiretur, nondum Syracusanus, sed Gelous civis erat. Hæc vel similis causa potuerit esse, cur eius memoriam tum quidem repeti nollet.

V. 8. ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται
σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ', ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους
μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν.

Pluribus difficultatibus hic locus laborat. Quid est enim ἀμφιβάλλεται? Kayserus secundum glossam in Pal. C. et secundum scholiastæ cuiusdam verba sic explicat: *epinicium tanquam corona imponitur (victori) a poetis (σοφῶν μητίεσσι)*, ut Pyth. V, 28 legatur: γέρας ἀμφέβαλε τεαῖσιν κόμαις. Cui interpretationi quum olim (introd. p. 33) assensus essem, nunc sententiam mutavi. Male enim id convenit sequentibus, in quibus non de laudando victore aut de carmine ei tanquam victoriæ coronamento imponendo, sed de celebrando Iove ac de gratiis deo agendis sermo fit, κελαδεῖν Κρόνου παῖδα. Hæ igitur dei laudes, quod toties fit in epiniciis, præmittuntur. Necessario ergo hæc sententia inest: *unde poetæ concitantur ad laudes Iovi canendas.* Videndum iam ex pluribus, quas Bœckhius et Dissenius attulerunt, virorum doctorum interpretationibus quæ maxime probabilis sit. Atque metaphoram ab ornatu vel a vestitu petitam, quæ Thierschii et Welckeri fuit sententia, minus aptam esse patet; nec vero Wakefieldii *agitatur mentibus*, vel quia de ponderanda atque animo volvenda sententia poetica sermo hic esse nequit, vel quia propter ὅθεν verbum ἀμφιβάλλεται tali significatione accipiendum est, qua motus indicetur, qui alicunde fiat. Hoc ipsum quidem inest in Tafelii: *disseminatur hymnus per omne spatium mentibus, ut arcubus.* Verum metaphora iaciendorum quaque versus telorum vel carminis radiorum, quamvis per se sit poetica, tamen h. l. nimis audax est, utpote quæ præter exspectationem accidat neque habeat in ceteris verbis, quo ad eam deducamur. Mittamus etiam Dissenii: *amplecti animo et complecti*, quia imaginem certam, quæ in ἀμφιβάλλεται inesse debet, non præbet. Reperitur autem ea imago huic loco aptissima in Heynii

interpretatione: *obiicitur mentibus, ut sonus circumfusus auribus*, quod etiam Bœckhius amplexus est. Itaque sit: Olympia, unde poetis causa et materia canendi venit; vel, unde poetarum animis spiritus divinus afflatur et offunditur, qui eos incitet ad canendum Iovis filium. (*Von wo das vielgepriesene Lied der Dichter Geist umwallt, zu singen* cett.) Ut Olympia fons carminum dicatur, similiter ac Pyth. VI, 7. Delphis Emmenidarum genti *ἑτοῖμος ὕμνων θησαυρὸς τετείχισται.* Similior etiam locus est Ol. III, 9. *(Πίσα) τᾶς ἄπο θεύμοροι νίσσοντ' ἐπ' ἀνθρώπους ἀοιδαί*, quibus verbis nostra interpretatio plane confirmatur.

Altera difficultas est in lectione *ἱκομένους*. Libri mss. fere omnes præbent *ἱκόμενοι*, aut *ἱκομένοις*. Et huic quidem patrocinatur Hermannus Opp. VI, p. 34. At *ἱκομένους* primus recepit Schmidius e Pal. C, ubi omissum in ordine, sed minutis literis tanquam glossam suprascriptum dicit Kayserus. Videamus iam de scholiis, a quibus tres, quas indicavimus, lectiones omnes agnoscuntur, sed ita ut *ἱκομένους* lectio ea videatur, ex qua ceteræ ortæ sint. Nam vetus illud scholium Vrat. A, quod inepte accusativum pro nominativo positum esse vult, quia *ἱκόμενοι* cum *αὐδάσομεν* falso coniungebatur, dicens: *τὸ δὲ ἱκομένους ἀντὶ τοῦ παραγενόμενοι λέγει· τῇ γὰρ αἰτιατικῇ ἀντὶ τῆς ὀρθῆς χρῶνται*, prava hac defensione accusativi indicio est, *ἱκομένους* pro antiqua lectione habitam esse. Atque etiam ille scholiasta, qui eam interpretationem improbat verbis *ὅπερ οὐκ οἶμαι λόγον ἔχειν* (vid. C. E. Ch. Schneider apparatus Pindarici suppl. p. 48), interpretamento *ἐλθόντας* comprobat accusativum. *ἱκομένοις* a recentioribus demum scholiastis laudatur ortumque videtur falsa structura, quam idem schol. affert *ὁ ὕμνος πλέκεται ἡμῖν νοήμασι σοφῶν — ἀφικομένοις.* Itaque et nominativus et dativus correctoribus debentur, et licet accusativum e codd. solus præbeat Pal. C (errat enim Dissen *ἱκομένους* ex libris plurimis repositum dicens), post ea tamen, quæ Bœckhius in disputatione de crisi Pindarica docuit, nemo erit qui dubitet, quin veterum scholiorum lectionibus fere plus auctoritatis tribuendum sit, quam libris mss. Recte igitur Bœckhius et Schneidewinus *ἱκομένους* retinuerunt, et recte ab utroque comma post *κελαδεῖν Κρόνου παῖδ'* positum est. Hoc est enim illud, ad quod faciendum poetæ incitatos se sentiunt, universe necdum definito loco, ubi canant Iovis laudem. Id autem statim definitur additis *ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν*, quæ verba ut docet accusativus *ἱκομένους* infinitivo *κελαδεῖν* structurâ annexa sunt.

V. 14. *ἀγλαΐζεται δὲ καὶ*
μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
οἷα παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν.

Hæc verba primus Hermannus Opp. VI, 48. recte interpretatus est, docens *ἀγλαΐζεσθαι* h. l. non esse *celebrari*, sed *delectari*, *lætari*, ut ceteris Hieronis virtutibus etiam hæc laus adiiciatur, quod musicas artes amet et poetis suaviter ludentibus in convivio ipse comis et libens intersit, ubi de scoliis cogitare licet. Quod is verborum sensus tam diu latuit, videtur in causa fuisse præpositio *ἐν*, quæ ad alteram illam potius interpretationem ducebat. Sed *ἀγλαΐζεσθαι ἔν τινι lætari aliqua re* recte dicitur, ut Nem. III, 32. *παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς γέγαθε Πηλεύς*, et *τέρπεσθαι, χαίρειν ἔν τινι.* Cf. Bernhardy Synt. p. 210.

V. 22. κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν
Συρακόσιον ἱπποχάρμαν βασιλῆα.

Kayserus nuper (Annall. litt. Vindobb. t. CV.) missis iis quæ olim in lectt. coniectaverat, et refutata etiam Bergkii lectione Συρακόσιον ἱπποχαρμᾶν βασιλῆα, sic interpungi iubet: προσέμιξε δεσπόταν Συρακόσιον, ἱππ. βασ. ut Συρακόσιον ad δεσπόταν trahatur. Rectius dixeris, substantivo δεσπόταν duplicem addi appositionem, alteram quod Syracusanus fuerit, alteram quod rei equestris studiosus rex. Itaque nomen Συρακόσιον, in quod duplex incidit ictus, sicut numeris ita grammatica quoque structura extollitur. Quod cur factum sit, patebit ex iis quæ supra p. 5. disputavimus.

V. 25. τοῦ (Πέλοπος) μεγασθένης ἐράσσατο γαιάοχος
Ποσειδᾶν, ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε Κλωθὼ
ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον.

De his verbis accuratius agendum est, quum præsertim introd. p. 100. verum Hermanni auctoritatem sequutus nondum satis dispexerim. Hermannus enim Opp. VI, 57. sqq. Dissenium reprehendit, quod reiecerit superiorum opinionem interpretum, qui Pindari verbis tralaticiam ac notam de Pelopis humero fabulam contineri putaverant, qua Ceres partem humeri comedisse, post autem eburneum humerum reddidisse dicitur. Apparere enim Hermannus ait ex ipsis Pindari verbis, tralaticiam illam fabulam narrari; non autem totam, sed partem tantum fabulæ a poeta refutari. Nam amatum a Neptuno Pelopem infra a poeta ipso dici, sed quod mactatus et coctus vulgo dicatur Pelops, id tantum a Pindaro negari et ut fictum repudiari. — At hæc Hermanni sententia ex parte tantum vera est. Nam si Pelops negatur mactatus et coctus esse, negatur simul Ceres partem humeri gustasse Pelopique eburneum restituisse. Nec vero, si poetæ verba diligentius perpenderis, quidquam in iis reperies, quod efficiat, ut vulgarem ab eo dicamus tradi fabulam. Nimirum in eius verbis nihil præter hoc inest: Neptunus puerum amavit propter pulchritudinem, quum inde a natalibus humero eburneo insignis esset. Rectissime Dissenius: „Censet natum esse puerum cum eburneo humero.“ Etenim verba: Parca puerum ex lebete puro sustulit, poetico ornatu detracto significant balneum primum, unde puer recens natus sublatus est. Hoc ipsum, ut puer recens a partu lotus intelligeretur, pulchre ac poetice curavit poeta, affuisse partui Parcam dicens. Sunt enim Parcæ λόχιαι θεαί, quas dicit Euripides Iph. T. 206, quo pertinent etiam loci a Dissenio laudati Pind. Ol. VI, 42. Nem. VII, 1. Nec tam mirum, quam Hermanno p. 54. visum est, filiolum patris, qui non unus de multis, sed conviva deorum fuit, a Parca ipsa e lebete puro sublatum esse. In hoc uno falsus est Dissenius, quod interpretatus est: *a Neptuno amatus est inde a prima infantia*, ac si esset ἐπεὶ πρῶτα, ἐπεὶ τάχιστα. Immo ἐπεί est *quia*, et omnino hoc dicitur: Neptunus eum amavit, quia pulcher erat et inde a prima infantia humero eburneo, i. e. eboris splendorem referente, Parcæ dono insignis. — Iam non negamus quidem, vulgatam de humero comeso et a Cerere restituto fabulam Pindaro fuisse cognitam; immo vero Pindarus cognitam habuit et verbis fortasse ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον leviter ad eam respexit, sic autem fabulam narrare instituit, ut statim ab initio appareret, deseri ab eo vulgarem atque impiam narrationem novamque viam iniri. Unum vero illud negamus, Pindarum fabulam notam et tralaticiam hic narrare. Quod quum iure negemus, dimittendum etiam illud, quod turbas et labores ingentes interpretibus attulit, quod putaverunt Pindarum narrare fabulam, quam non crederet, tan-

quam crederet, postmodo eandem magna cum indignatione ab eo reiici. Illud igitur quod Ceres dicitur humerum gustasse, quod Pelops mactatus et artibus quibusdam, quas Medea mentiebatur, in lebete recoctus revixisse fertur, quod humero eburneo donatus pro comeso traditur, hæc, inquam, omnia mittantur, et planissima erunt Pindari verba.

Nam Pelopis fabulam tribus versibus summatim proponit. Nondum ibi fabulam vulgarem impugnat nec certamina excitat, quod vitandum erat in narrationis initio, sed firmo pede incedens sic progreditur, ut fabulam notam verbis *ἐλέφαντι — κεκαδμένον* leviter tantum stringere videatur, liberam atque integram narrationi reservans ulteriorem viam. Quo quasi fundamento posito nondum narrationem impiam adoritur, sed causam et originem multorum in fabulis mendaciorum universe indicat. Sic leniter munita via se contra atque a prioribus poetis factum sit narraturum profitetur, eaque re confecta originem, quæ ipsi videatur tetræ et abominandæ fabulæ, patefacit.

V. 28. *ἦ θαυματὰ πολλά, καί πού τι καὶ βροτῶν φάτις ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι.*

φάτις præbent libri optimi cum schol. vet. idque commendatum et explicatum ab Hermanno non debebant repudiare Bergkius et Schneidewinus. Est quidem *φάτιν* antiqua lectio, ut e schol. apparet, sed coniecturæ simillima. Scripserunt enim accusativum, quum nominativi *φάτις* structuram non intelligerent et quum *ἐξαπατῶντι* obiectum desiderare videretur, quamobrem in multis codd. itidem ex coniectura scriptum est *βροτῶν φρένας*. At recepto *φάτις* sententia fit optima. *Profecto mirabilia sunt multa, ac fere etiam hominum sermo, dum verum excedit, exornatæ inquam versicoloribus mendaciis fabulæ fallunt.* Namque *ἐξαπατῶντι* absolute positum est, ut in loco simillimo Nem. VII. 23. *σοφία δὲ κλέπτει παράγοισα μύθοις*, atque ut *ἄγει* Pyth. II. 17. *ἄγει δὲ χάρις φίλων ποίνιμος ἀντὶ ἔργων ὀπιζομένα*, ubi Dissenius Hermannum ad Vig. p. 938. sequutus interpretatur: „ducit *eos* gratia", i. e. *τοὺς κελαδέοντας*, Kayserus autem desiderans obiectum *τίμιον* coniecit. Hoc quidem minime probabile, sed optima est Spigelii coniectura, vel quia scholiastam legisse *ποίνιμος* ex ipsius patet interpretatione *ἀμειπτική*, quod Schneidew. animadvertit, vel quia id ipsum flagitat sententia et ducunt eodem Pindari verba v. 14. *εὐαχέα βασιλεῦσιν ὕμνον, ἄποιν᾽ ἀρετᾶς*. Verum non desideratur in *Χάρις ἄγει* obiectum, ideoque etiam ab Hermanno discedo *ducit eos, i. e. Cyprios, gratia* interpretante. Nam dictum est generaliter, quod patet e sententiarum nexu: *Solent reges pro beneficiis celebrari carminibus. Prosequuntur Cinyram regem laudes Cypriorum.* Iam afferendum erat alterum exemplum de Hierone, propter quod illas sententias instituerat, sed pro more suo suaviter membra coniungens interserit *ἄγει δὲ χάρις κτέ.* ubi pro *δέ* poterat *γάρ* poni: *Etenim ducit (homines) gratia in beneficiorum remunerationem devenerans.* Tum demum id adiecit quo tendebat: *Te vero, Hiero, canunt virgines Zephyriæ sedentes pro foribus, servatæ per te a belli terrore et a servitii dedecore.* Universe dictum illud interseri indicat ipsa particularum ratio et membrorum oppositio: v. 15. *κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν.* v. 18. *σὲ δ᾽ ὦ Δεινομένειε παῖ.*

Expositis causis cur multa ficta et fabulosa narrentur et cur præsertim poeseos lenociniis (cf. Nem. VII, 20 sqq.) ornata credantur, addit: *ἁμέραι δ᾽ ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.* Quæ quum universe dicta esse pateat, vult tamen poeta etiam de sua narratione subintelligi, licet diserte non dicat. Non quidem aliorum testimoniis

utitur, sed ipse historiam refingit ex coniectura assequutus veriora. Coniecturam autem ceperat ex rei indignitate, quare subiicit: *ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά.* Quodsi rei dignitas vel indignitas post longa tempora aliquem impulerit, ut convenientius rem refingat, potest tempus dici veritatem aperuisse et testimonium attulisse. Sic in loco simili Ol. XI, 55. tempus certaminum Olympicorum initia aliquantisper fortasse parum recte cognita patefecit et *τὸ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν*, nisi ibi accurata narratio *(τὸ σαφανές)* per secula *(ἰὼν πόρσω)* tradita et conservata dici putanda est.

V. 37. *ὁπότ' ἐκάλεσε πατὴρ τὸν εὐνομώτατον*
ἐς ἔρανον φίλαν τε Σίπυλον,
ἀμοιβαῖα θεοῖσι δεῖπνα παρέχων.

Recte Schneidewinus hanc librorum optimorum lectionem retinuit. In Bergkii coniectura *ἐς εὐνομώτατον ἔρανον ἐς φίλαν τε Σίπυλον* displicet *ἐς* iteratum. Contra Hermanni coniectura Opp. VI, p. 35. *ἐς εὐνομώτατον τὸν ἔρανον φίλαν τε Σ.* recte se habet, si sumas constare de illo *ἐράνῳ* atque id tantum agi, ut prædicetur, qualis fuerit *ἔρανος*, qui Pindaro quidem *εὐνομώτατος*, non *ἄνομος* visus sit. Itaque necessario quidem cum Hermanno faciendum esset, si tantum de convivio constaret, in ambiguo adhuc relicto cruentum an honestum fuisset. At constat de nullo alio nisi de honesto convivio, saltem ex mente Pindari; articulo enim ante *εὐνομώτατον* posito sibi de convivio ut honestissimo certum esse significat.

V. 46. *ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες, οὐδὲ ματρὶ πολλὰ μαιόμενοι φῶτες ἄγαγον·*
ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων,
ὕδατος ὅτι τε πυρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμὰν
μαχαίρᾳ τάμον κάτα μέλη,
50. *τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύματα κρεῶν*
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.
ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν.

Primum Bergkius v. 48. coniecit *ὅτι σὲ πυρί*, et v. 49. *κατὰ μέλη* pro *κάτα μέλη*. Illud fortasse minus recte, quum ex *ἔπελες* facile intelligatur *σέ* et quum duplex actio, et coquendi et edendi, particulis *τε — τε* commode distineatur. Alterum autem, quod *κατὰ μέλη* mavult, facit rectissime. Nec tamen ideo scribendum *σέ*, quippe quo obiectum verbo *τάμον* restituatur, quasi obiectum perierit scripto *κατὰ μέλη*. Nam uti diximus, ex *ἔπελες* pronomen *σέ* subintelligitur, ut subintelligendum iam erat ad *ἄγαγον*. Est autem necessarium *κατὰ μέλη* ad extollendam notionem dissectionis et distributionis, quæ ad sequentia plus, quam creditum est, valet. Id enim statim cernemus e disceptatione de lectionibus *δεύματα* et *δεύτατα* v. 50. Etenim *δεύματα* Bœckhius et post eum editores omnes e duobus tantum neque adeo, id quod Hermannus notavit, antiquis libris receperunt. Hermannus autem opp. VI, p. 58. *δεύτατα κρεῶν* defendit, ***extremitates*** corporis significari arbitratus. At recte adversatur ei interpretationi Schneidewinus, inprimis *κρεῶν* mire adiectum fore aiens. Idem vir doctus in indagandis et diiudicandis veterum lectionibus diligentissimus vere annotavit lectionem *δεύτατα* antiquissimam eamque unam veteribus videri cognitam fuisse. Nec tamen sequutus est, sed retinuit *δεύματα*. Verum si in proxima et simplicissima significatione vocabuli *δεύτατα*, qua idem fere est quod *ἔσχατα*, substiteris et quæsieris, quid ea ad poetæ verba faciat, facile reperies lectionem antiquam simul esse optimam atque unice convenientem. Hoc enim dicit Pindarus: „Quum te, Pelops, Neptunus in Olympum ab-

duxisset, nec tui vestigium ullum reperiretur, vicini invidi narraverunt, deos te circa lebetem bullientem membratim dissecuisse atque ultima carnium tuarum frusta divisisse ac devorasse.“ Cur vero dixit ultima carnium? Quia hoc voluit: devorasse deos vicini dixerunt te prorsus nec tui quidquam reliqui fecisse. Sic enim vicini invidi interpretabantur, quod Pelops e conspectu hominum sublatus est. Quod ut sic intelligeretur, poeta ipse data opera efficere studuit delectu verborum, quibus usus est. Cuius generis est *κατὰ μέλη* et *διεδάσαντο*, quodam modo etiam *φάγον*, et certe *γαστρίμαργον*, quod *voracem* significat, minime, quod Dissenius voluit, *eum qui foeda edit.* Quam Dissenii interpretationem si quis sic defendere velit, ut dicat *voracitatis* vocabulum non satis convenire horrori, quo poeta narratione absoluta perfusus videatur, respondemus etiam minus convenire illud *qui foeda edit*, ut multo debilius. At sufficiebat e rebus tam tetris unam nominari *voracitatem.* Cetera, ex quibus quis non persentiscebat horrorem, tacuit. Gravissime re abominanda defunctus est vocabulo uno *ἀφίσταμαι.*

V. 59. de Tantalo:

ἔχει δ᾽ ἀπάλαμον βίον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον,
μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον.

Verba hæc propter brevitatem obscuriora iam veteres torserunt interpretes. Nuper autem Heimsoeth novam viam ingressus est. Nam quum Pindarus Ol. II, 68 dicat:

ὅσοι δ᾽ ἐτόλμασαν ἐςτρὶς
ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχάν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρσιν· ἔνθα μακάρων κτέ.

verba *μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον* Heimsoeth sic explicat: „*quartum laborem* (iam „poterat dici *post tres*, sed cum tres illas vitas iam vixisset, etiam) ***cum tribus***, ut „mens poetæ sit: „iam hic est finis totius vitæ laborumque Tantalo.“ — Nam ad *τριῶν*, „inquit Heims., debemus intelligere *πόνων*; itaque vox *τριῶν* de vitis dicta.“

Poterat ad hanc sententiam confirmandam afferre etiam fr. Thren. 4.

οἷσι δὲ Περσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος
δέξεται, ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτεϊ
ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν.

Nova sunt quidem, quæ Heims. excogitavit, sed vera non sunt. Nam ut demus, quod concedi vix potest, *μετὰ τριῶν* hic ita intelligi, ut fere idem sit quod *μετὰ τρεῖς*, quia, qui post tres vitas quartam quoque vivat, cum tribus quartam vivere dici possit, res tamen ideo displicet, quod Pindaro tribuitur sententia alienissima. Nam *βίον*, vitam humanam, poetæ merum *πόνον* visum esse, probari nullo modo potest, sed aliorum illud philosophema temporum fuit et aliarum disciplinarum. Contra *βίος* Tantali apud inferos cur *πόνος* dicatur, facile intelligitur; id autem ad tres illas priores vitas, quas Pindarus Tantalo ex Heimsoethii opinione tribuit, minime pertinere apparet. Eæ enim saltem non iniucundæ fuerunt Tantalo deorum convivæ, quarta demum dura fuit. At in Heimsoethii opinione etiam aliud reprehendendum est. Namque Pindarus non lectoribus, quibus ex omnibus carminibus sententias et opiniones collectas inter se conferre ac discere liceret, sed auditoribus scripsit, poetæ opera non sic manu tenentibus, ut evolverent atque investigarent, quid poeta alio et loco et tempore de vita hominum ter ineunda statuisset. Atque sicut l. l. Ol. II et thren., ubi talia tradit, apertius locutus est, ita etiam Ol. I, si vellet similia, planius dixisset. Nam satis obscure illa

verbis *μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον* dixisset, etiamsi mysticam Orphicorum et Pythagoreorum doctrinam pervulgatam fuisse statuas. Verum quum ne ceterorum quidem interpretum opiniones satis facere videantur, dicam quid sentiam. Nimirum Tantalo, quoniam nectar et ambrosiam gustavit, quo immortalitatem adeptus est, non ademerunt supplicii causa dii immortalitatem, sed reliquerunt, filium autem ei rursus ad *ταχύποτμον ἀνέρων γένος* miserunt v. 65. Itaque habet Tantalus *βίον*, sed habet *ἀπάλαμον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον*, ut vere dicatur pro vita immortali laborem perpetuum invenisse. Tantus autem eius est labor, ut Tityi, Sisyphi, Ixionis laboribus summis quartus adnumerari debeat. Nam ad *τριῶν* non *πόνων* intelligo cum Dissenio et Hermanno, sed *ἀνδρῶν*, quasi dixerit *μετὰ τῶν τριῶν ἐκείνων*. Obieceris quidem, tum dicturum fuisse *μετὰ τριῶν τέταρτος πόνον*, non *τέταρτον*. At recte *τέταρτον*, quum non tam is qui ferat, sed atrocitas laboris spectetur. Sic Sophocles El. 695 dicere poterat *Βοιωτὸς ἄλλος, δέκατος ἐκπληρῶν ὄχον*, at dixit *δέκατον*. — Ceterum quod v. 65 tetigi, argutati sunt viri docti in verbis *προῆκαν υἱὸν ἀθάνατοί οἱ πάλιν μετὰ τὸ ταχ.* varie illud *οἱ* interpretantes. Mihi quidem videtur dativus esse, quem dicunt ethicum, significans quid illud, quod filius mitteretur ad homines, Tantali interfuerit. Tantalus enim convivis nectar et ambrosiam divisit, cuius sceleris poenas sumentes dii ei filium rursus mortalem reddiderunt.

V. 63. *οἷσιν ἄφθιτον θέσσαν*. Bene meritus est Schneidewinus, quod vitiosam formam *θέσσαν* notavit. Proximum erat *θῆκαν*, quod placuit Kaysero Annal. Vindobb. t. CV, sed Schneidewino consulto id videtur vitasse poeta vel propter prægressum *δῶκεν* et subsequens *προῆκαν*. Libri habent aut *ἔθεσαν*, aut *θέσαν*, ut Vrat. A addito *αὐτόν*. Itaque sub illo *θέσαν* aliud videtur latere. Schneidewinus suspicatus est *κτίσσαν*, significatione *reddendi*, quam exemplis Aeschyleis et Sophocleis comprobavit, quibus addi possunt Euripidea, ut Suppl. 788. *ἄγαμόν μ᾽ ὤφελε κτίσαι*. Habet tamen *κτίσσαν* h. l. nescio quid ingrati. Ahrens ap. Schneidew. in Addend. coniecit *θῆσαν*, docte quidem et acute sed nimis artificiose. Nam quum apud Hesych. *θῆσαι* explicetur *θρέψαι*, de lacte coagulando, ut est Alcman. fr. 18, 4 (Bergk) *γάλα θεῖσα τύρον ἐτύρησαν*, putat verbum *θῆναι* etiam universe verbi *τρέφειν* potestate usitatum fuisse, ut *ἄφθιτον θῆσαν* idem sit quod *ἄφθιτον ἔθρεψαν*. Ingeniose profecto, sed parum probabiliter. Nam ubicunque *θῆσαι* et *θήσασθαι* legitur, adiuncta etiam notio lactis est, lactandi, lactis coagulandi. Verum quidni illud ipsum *θρέψαν*, quod literis maiusculis non adeo discrepat a *θέσαν*? Quanquam, ut verum fatear, simplicissimum est *θῆκαν*, nec debet absterrere similitudo soni, quominus recipiatur. Et quum non adeo usitatum fuerit in plurali ea aoristi forma, atque Pindarus ipse *θέσαν* dicere soleat, videtur a grammaticis correctum esse, unde *ἔθεσαν* et *θέσαν*. De *ἔθηκαν* Doriensibus usitata forma cf. Ahrens dial. Dor. p. 316.

Sicut v. 71. *ἄγχι δ᾽ ἐλθὼν πολιᾶς ἁλὸς οἶος ἐν ὄρφνᾳ ἄπυεν βαρύκτυπον Εὐτρίαιναν*, vel sono verborum horrorem quendam efficit, quem sentimus in secreto noctis silentio, sic v. 83 *γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἕψοι μάταν* et verbis et numerorum motu summum fastidium vitæ desidiosæ et obscuræ significavit.

V. 89. *τέκε τε λαγέτας ἓξ ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς*.

Restituendum utique erat *μεμαότας* ex optimis libris. Nam etsi Pindarus Ol. VII, 17. dicit *ἀδόντα Δίκᾳ* et fr. inc. 24. *φίλος δὲ Μοίσαις Εὐθυμίᾳ τε μέλων εἴην*, tamen vix est Pindaricum *Ἀρεταῖσι μεμαλότας*, quasi virtutum cohortem dixeris. Nam

abstinuisse videtur illa substantivorum abstractorum in plurali personificatione, qua posteriores delectati sunt. *μεμαλότας* recens demum legit schol. explicans: *ἀνδραγαθίαις ἐν φροντίδι ὄντας*. At *μεμαότας* vetus habet in lemmate, et interpretatione *ἐπιθυμοῦντας τῆς ἀρετῆς* quamvis falsa nihil aliud a se lectum esse prodit. Etiam sententia perbona est et fortis: *genuit filios sex populorum duces virtutibus cupide nisos.*

De carminis compositione quum Herm. opp. VI, p. 42. egregie disputaverit, partesque singulæ quomodo sententiæ principali coeant demonstraverit, atque etiam quid Pelopis fabula ad carminis ornatum faciat docuerit, sunt tamen nonnulla, quæ addenda esse videantur. Et coniuncta quidem est, ut Hermannus ostendit, cum Olympiorum celebratione Pelopis fabula propter Hippodamiam, propter certamen cum Oenomao, propter Pelopis sepulcrum et propter divinos honores ei apud sepulcrum habitos, præsertim quum Pausan. V, 13, 1. dicat: *ἡρώων δὲ τῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοσοῦτον προτετιμημένος ἐστὶν ὁ Πέλοψ ὅσον Ζεὺς θεῶν τῶν ἄλλων.* Sed inesse videtur aliquid etiam in illis Pindari verbis *τέκε τε λαγέτας ἒξ ἀρεταῖσι μεμαότας υἱούς.* Pater igitur fuit summorum regum, qui olim in Peloponneso regnarunt. Quare pie venerandus est etiam illis Græcis, qui e Peloponneso originem duxerunt, ut Syracusanis. Nam etsi Doricæ stirpis erant Syracusani, constat tamen vel ex ipso Pindaro a Doriensibus assumptos in religionem esse etiam illos heroes, qui ante Doriensium adventum in Peloponneso fuerunt. Præterea si quæras num quid sit in fabula, quod ad Hieronis res referri possit, unum saltem reperies, quod pertinere eo videatur: quod Pelops vitæ inertis contemtor et strenue se gerendo gloriam quærens, licet mortalis fuerit, immortales honores adeptus est, quippe diis carus et ab iis ad victoriam adiutus. Quibus si conferas v. 106 sqq. *θεὸς ἐπίτροπος ἐὼν τεαῖσι μήδεται ἔχων τοῦτο κᾶδος, Ἱέρων, μερίμναισιν*, videbis minime abludere ab Hieronis rebus de Pelope fabulam, sed aliquam quæsitam esse a poeta similitudinem. Pauca adiiciam de Tantalo, quem Pindarus exemplum esse voluit naturæ humanæ, quæ fortunæ plus quam humanæ impatiens esset. Itaque immortalitatem ei in cruciatum sempiternum vertisse dicit. Ac molestius quidem et tristius id sic interpretatus est Dissenius, ac si Hieronem pronum ad superbiam principem ab eo vitio poeta Tantali exemplo absterreret. Quod merito reprehendit Hermannus l. l. p. 39., nisi quod paullo severior in eo fuit, quod similem sic Hieroni culpam tribui diceret, qualis fuisset in Pelope, quod alienum est a Dissenii sententia. Verum res hæc esse videtur. Tantali exemplum modestiam mortalibus commendat eosque humana tantum concupiscere et in humanis rebus se continere iubet. Ea autem admonitio quum generalis sit, pertinet quidem ad Hieronem, sed non magis quam ad quemvis alium. Est igitur sententia similis iis, quas collegimus in introd. p. 39 sqq. Unum addam. Si quis verba exeuntis carminis *τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι· μηκέτι πάπταινε πόρσιον* abuti velit ad Dissenii sententiam confirmandam, is nimirum frustra sit. Non enim verbis *μηκέτι πάπταινε πόρσιον* Hieronem alloquitur poeta, sed vel se, vel alium quemlibet. Significant ea verba nihil aliud, quam: frustra erit, si quis quæsierit maius quidquam, quam regale fastigium. Sic Isthm. III, 31. postquam Cleonymidarum virtutes summas esse prædicavit, addit: *καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν*, quo significat, superari eorum virtutem non posse.

Olymp. II.

V. 51. *το δὲ τυχεῖν*
πειρώμενον ἀγωνίας παραλύει δυσφρονᾶν.
ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαλμένος φέρει τῶν τε καὶ τῶν
καιρόν, βαθεῖαν ὑπέχων μέριμναν ἀγροτέραν,
ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτήτυμον
ἀνδρὶ φέγγος. εὖ δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον,
ὅτι θανόντων κτέ.

In his v. 52 cum Schneidewino scripsi *δυσφρονᾶν* pro vulg. *δυσφρόνων*, quod obscuram sententiam reddit, quia falso de hominibus potius infestis, quam de rebus adversis cogitare nos invitat. Quod v. 56. scripsi *εὖ* pro vulg. *εἰ*, de eo postea dicam. Prius exponendum est de verborum sententia, quam non satis explicatam ab interpretibus video. Utilissime autem monuit Kayserus in lectt., voc. *ἀρεταῖς* v. 53. ad victorias ludorum maxime referendum esse, quod docet versus præcedens; minus recte idem V. D. *μιν* v. 56. ad *πλοῦτον* tantum referri voluit, immo vero referendum ad *πλοῦτον ἀρεταῖς δεδαλμένον*, id quod postea elucebit. Poeta autem hoc voluit: Victoria labore et sumtibus parta liberat mentem ab ægritudine. Profecto victoriæ divitiis ornatæ non sinunt vitam obscuritate turpi transigere, sed acre studium liberalitatis exhibendæ et res varias bene ac pulchre gerendi menti iniiciunt. Splendent enim divitiæ sic ornatæ instar sideris lucem ferentis et collustrantis eum, qui opibus tam honeste usus est, neque eum nominis gloriæque partæ immemorem unquam esse patiuntur. Nec vero ignorat aut obliviscitur vir sic ornatus sortem post mortem futuram bonorum et malorum, adque eam sapientiam vitæ rationem dirigit, atque etiam excitatur ad liberalitatis et beneficentiæ omne genus, qualis est Thero, quo *φίλοις ἄνδρα μᾶλλον εὐεργέταν πραπίσιν ἀφθονέστερόν τε χέρα* (v. 93) reperire nequeas. — Ad verba *ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτήτυμον ἀνδρὶ φέγγος* cf. Pyth. VIII, 96. *ἀλλ᾽ ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθῃ, λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν.*

Constituta autem sic in universum Pindari sententia videamus de loco difficillimo v. 56. ubi librorum lectio est *εἰ δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον.* Bœckhius, quem sequutus est Bergkius, coniecit *εἴ γε*, sed minus decet ea exceptionis formula loci colorem valde poeticum. Hermannus autem et Kayserus, quum protasi non respondeat apodosis, aposiopesin statuerunt et sententiam apodoticam mutata forma post plurimos versus subsequi voluerunt, alter v. 89. *ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον*, alter v. 92. *αὐδάσομαι.* Merito autem eam rationem Schneidewinus reiecit ut difficilem et a lyrici poetæ elocutione alienam. Aliam viam iniit Heimsœth, qui, si recte cepi eius sententiam obscurissime pronunciatam, ad ellipsin confugit ante vv. *εἰ δέ μιν ἔχων* statuendam, ut hæc fere sententia evadat: „divitiæ victoriis ornatæ summum homini bonum et ad multa præclara eum incitant (non semper); sed si quis eas possidens novit mala poenis affectum iri, bona præmiis h. e. si quis hoc mente bene tenens ita vivit.“ Sic loci sensus fere idem fit, quem Bœckhius voluit, verum ut illa subintelligantur, quæ Heimsœth in parenthesi posuit, machina nulla effici potest, nam fac abesse illud *non semper*, nemini id in mentem veniet supplere. Itaque recte Schneidewinus vidit emendatione opus esse eamque lenissimam adhibuit scribens *ἐν δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον,*

hac sententia: *Divitiæ virtute ornatæ multarum habent rerum opportunitatem, simul autem qui eas habet scit* sqq. In quo id mirum accidit, quod, qui divitias habet, futura apud inferos malorum supplicia, bonorum præmia scire dicitur, quasi vero is nesciat qui divitiis caret. Ac revera sic miratus est Kayserus Annal. Vindobb. t. CV, et sic intellexit Schneidewinianam emendationem, ac si divites tantum pii et conditionis in Orco futuræ memores dicerentur. Quanquam assumto *ἐν δέ* non necessario divites tantum intelligi debent, sed comprehendi scientium numero possunt quodammodo etiam pauperes. Nam hoc voluit haud dubie Schneidewinus: Divitiæ sunt magnum bonum et ad multa præclara incitant. *Simul autem, qui eas habet æque atque is qui caret,* futura in Orco qualia nos maneant, non ignorat. Hoc ipsum quocunque denique modo dicendum erat, nec tamen satis diserte et clare dicitur verbis *ἐν δέ.* Diceretur autem aperte nec quidquam obscuritatis remaneret, si sic fere esset: *ὁ δέ μιν ἔχων οὐκ ἀγνοεῖ τὸ μέλλον,* quibus auditis statim quisque subintelligit: quod omnes bene tenent neque unquam obliviscuntur, quia memoria tenere utilissimum est. Id vero effici apparet magis efferendo verbo *οἶδεν*, quod fit si addideris *εὖ.* Simul etiam apparet utiliter et apte ad sensum illam non nesciendi notionem fortius efferri particulæ *εὖ* collocatione. Quare scripsi *εὖ δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον.* (Atque *εὖ* coniecerat iam alia de causa Tafelius, cuius dilucidationum nunc demum mihi facta copia est.)

V. 57. sqq. *ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ᾽ αὐτίκ᾽ ἀπάλαμνοι φρένες*
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ᾽ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

Hæc verba iam in introd. p. 80 tractaveram meritoque Bœckhii *ἐνθάδε* cum *ἀπάλαμνοι*; Disseniique cum *θανόντων* iungentis sententiam refutaveram. Recte tum quidem intellexeram *ἐνθάδε* coniungendum esse cum *ποινάς ἔτισαν*, quid autem *θανόντων* esset, nondum perspiciebam. Sed in auxilium vocanda sunt verba v. 68 sqq. *ὅσοι δ᾽ ἐτόλμασαν ἐστρὶς ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν*, unde cognoscimus ter hic totiesque apud inferos vivendum esse singulis et scelera committi solere non solum in hac vita sed etiam in Orco. Iam vero sententia poetæ, quæ tamdiu latuit, patebit. Nimirum hoc vult: Mortuorum animi, qui apud inferos scelera admiserunt, in hanc terram remissi redeunt in corpora atque hic poenas sustinent. Contra de delictis sub hoc Iove, in hac vita, commissis iudicium exercet aliquis infra terram apud inferos. Sic demum poetæ narratio pulcherrime procedit. Primum dicit de iudicio utroque, quod habetur de prius defunctis et in vitam reversis in hac terra, ac de delictis sub hoc sole commissis in Orco. At bene facta quoque apud inferos præmiis afficiuntur, quocirca hæc a poeta suavia nunc atque læta extollente uberius exponuntur v. 61 — 67; de poenis graviter quidem sed brevissime, *τοὶ δ᾽ ἀπροσόρατον ὀκχέοντι πόνον*, quasi abominatus dicit. Nunc demum rem absolvit totamque illustrat de vita ter utrobique ineunda exponens ac de vita beata splendidis verbis exornata, quam apud Saturnum degunt ii, qui omnino iniustitia vacaverunt. Vides iam singulas partes inter se optime convenire. — Quum loco identidem accurate considerato in eam, quam exposui, sententiam incidissem, evolvi scholia vetera eaque hic quoque, ut sæpius, haud impune ab interpretibus neglecta vidi. Sic enim explicant: *ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ ζῆν ἁμαρτάνοντες ἐν ᾅδου κολάζονται, οἱ δὲ ἐν ᾅδου ἐν τῷ ἡμετέρῳ βίῳ ἐν τῇ τοῦ Διὸς ἀρχῇ·* Vid.

inprimis schol. Vrat. A ed. Schneideri. Unum me male habet et obstitit diu, quominus verum inveniretur, *αὐτίκ᾽* v. 57, quod necessario in falsam induxit opinionem. Nam quum *αὐτίκα* necessario cum *ἐνθάδε* iungendum, utraque autem particula ad *ποινὰς ἔτισαν* referenda sit, apparet mentem lectoris particula *αὐτίκα* perturbari et ad falsam hanc sententiam detrudi, defunctos prius quam defungeretur *statim* hic partem poenæ dedisse, quod pravum et perversum esse quum ex membrorum oppositione patet, tum vel particularum *μέν* et *δέ* collocatione in *θανόντων μέν* et *τὰ δ᾽ ἐν τᾷδε* prorsus coarguitur. Itaque abeat sinistrum illud et in quavis interpretatione obscurum *αὐτίκα*, in cuius locum succedat aliud, quod a sententia ipsa postuletur. Pindarum enim, quum alternas vitas esse vellet et utramque sic comparatam, ut quod in altera commissum esset, lueretur in altera, statim in prioris membri descriptione alternis id fieri consentaneum est declarasse. Id autem aptissime facere poterat sic, ut statim in priore ex illis orationis membris iterari poenæ conditionem et eos qui viverent poenas significaret rursus dare eorum, quæ, quum mortui essent, apud inferos commisissent. Itaque videbis *αὐτίκ᾽* mutandum et facile dabis scribendum esse *αὖτις*, quia *οἱ θανόντες* iam infra, priusquam in hanc vitam rediissent, poenas luerunt.

Accurate Pindarus distinguit inter sortem eorum, qui tres vitas utrobique insontes degerunt et eorum, qui vita sub hoc sole defuncti ad inferos descenderunt et propter virtutem præmia invenerunt. Illi apud Saturnum vivunt in beatorum insulis, hi v. 61 sqq.

ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεί,
ἴσα δ᾽ ἐν ἁμέραις ἅλιον ἔχοντες ἀπονέστερον
ἐσλοὶ δεδόρκαντι βίον.

Etiam hæc verba dubito an non recte explicari soleant ab interpretibus. Schol. recens: *ἐπίσης ἐν ταῖς νυξὶν, ἐπίσης δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἥλιον ἔχοντες, ἤγουν ἀεὶ ἐν φωτὶ ὄντες.* Quem sequutus Bœckhius: *poeta apud beatos continuum esse solem dicit.* Similiter Dissen addito: *Est autem omnino alius hic sol quam noster.* Vix recte illi, sed unice recte, ut videtur, schol. vet. exponit: *ἴσον ἡμῖν τοῖς ζῶσι χρόνον ἐπιβάλλει ὁ ἥλιος καὶ τοῖς ἐν ᾅδου δικαίοις.* Alius: *τοῖς ζῶσιν ἡμῖν τὸν ἴσον χρόνον ἐπιτελεῖ καὶ τοῖς ἐν ᾅδου ἀγαθοῖς ὁ ἥλιος*, a quibus discedendum non erat. Quid enim? cur continuus sol luceat inferis? et cur alius illis sol quum superis? Nonne Pindarus ipse sibi repugnare videatur fr. Thren. 1. dicens: *τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω.* Poeta nihil aliud voluit quam: *ἴσας μὲν ἀεὶ νύκτας, ἴσας δὲ ἡμέρας ἔχοντες ἡμῖν.* Sed fefellit interpretes singularis et audacior poetæ locutio *ἴσον νύκτεσσιν αἰεὶ ἅλιον ἔχοντες*, intelligentes noctes quæ apud nos sunt. At poeta significavit noctes inferorum, et quum dicit parem iis solem noctu lucere ac nobis, solem lucere noctu negat. Atque caute intellectui auditorum prospexit vel *ἴσον* et *ἴσα* utrique membro præfixis, vel verbis *ἅλιον ἔχοντες* non *νύκτεσσιν* sed *ἁμέραις* subiectis, quo proprie pertinent; contra ad *νύκτεσσιν* improprie, figura apud poetas veteres non adeo rara, qua causæ certum aliquem effectum habentes eundem nonnunquam intermittere dicuntur, ut causæ effectrices naturam plane contrariam induisse videantur. Sic Isth. VII, 12. *ἀλλά μοι δεῖμα μὲν παροιχόμενον καρτερὰν ἔπαυσε μέριμναν.* Proprie non *δεῖμα ἔπαυσε μέριμναν*, ac ne *παροιχόμενον* quidem *δεῖμα*, sed *τὸ παροίχεσθαι δεῖμα.* Similiter Isthm. II, 40. *οὐδέ ποτε ξενίαν οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέστειλ᾽ ἱστίον ἀμφὶ τράπεζαν.* Proprie nunquam *οὖρος ἐμπνεύσαις* contrahit vela, sed *οὖρος μὴ ἐμπνεύσαις.* Magis proprie dixisset omisso *ἐμπνεύσαις*, sed addito,

figura audaciore quantum ponderis ac virium orationi accedat, ad sentiendum facile est. Huic loco simillimus est Sophocl. Aj. 655. *δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον*, ubi vid. interpp. Rursus Nem. IV, 50. *τᾷ δαιδάλῳ δὲ μαχαίρᾳ φύτευέ οἱ θάνατον*, i. e. *subducta μαχαίρᾳ* illa artificiosa. Transmitto alia Pindarica exempla. Ex aliis scriptoribus plura congessit ac diligenter illustravit G. E. Kœhler, in disputatione de veterum scriptorum usu in enunciationibus verbo affirmantibus, re negantibus. Zwiccaviæ 1839. — Itaque, ut ad locum nostrum redeamus, Pindarus bonos post mortem apud inferos tenebris sempiternis premi negat eosque vita frui dicit huic nostræ simillima, statis temporibus noctem die excipiente, hoc sole, dum nobis nox est, infra lucente, rursus lucem superis fundente, quum illic tenebræ sint. Quod si quæras, cur illas noctium ac dierum vicissitudines apud inferos poeta statuerit, respondemus, quia negare voluit, quod de sempiternis apud inferos tenebris ab Homero et ab Hesiodo propagatum ac vulgo creditum erat. Vide, quæ de Homero disputavit Nitzsch. comment. in Odyss. t. III, p. 171 sqq. 307 sqq. et Hesiod. theog. v. 669. Ergo hac quidem in re inferorum vitam huic nostræ Pindarus voluit esse simillimam. Eo tantum nobis feliciores sunt, quod vitam minus laboriosam agunt, non de victu solliciti, sed, v. 65. pergit poeta:

παρὰ μὲν τιμίοις
θεῶν, οἵτινες ἔχαιρον εὐορκίαις, ἄδακρυν νέμονται
αἰῶνα.

Quos *τιμίους θεῶν* dicat, ambigunt interpretes. Vett. scholl. Plutonem et Proserpinam dicunt. Bœckhius bonos illos a diis dilectos intelligit, qui vita iuste peracta prospera apud inferos conditione gaudeant, Dissenius Aeacum et Minoem. Mihi vero, cur a scholiis discedamus, causa esse nulla videtur, atque *τίμιός τινος* pro *τίμιος παρά τινι* vel *τιμώμενος ὑπό τινος* sine exemplo est, nec quidquam, quod simile sit, affert Matth. gr. §. 345. Contra cur *τιμίους θεῶν* vocet eos, penes quos summum imperium de orcinis est, causa probabilis videtur exputari posse. Quanquam simile exemplum deest, nam Aeschylus Eum. 954. Eumenidas *παντᾶ τιμιωτάτας θεῶν* non prorsus similiter dixit. Sed nostro loco sunt severa et implacabilia illa numina, quibus nemo non honores tribuit. Ac vel sic intelligitur, cur præ aliis dixerit *τιμίους θεῶν*. Quum autem veneratio, qua afficiuntur, et sacra et precationes plus, quam quæ ceteris diis fiunt, cum metu et horrore coniuncta sint, poterat timendos deos dicere. Verum quum probis ac bonis proprie non sint timendi, quippe qui benigne ab iis excipiantur et in eorum tutela sint, nomine non insuavi, sed pie et verecunde dixit *τιμίους θεῶν*. Vel sic tamen *οἵτινες ἔχαιρον εὐορκίαις* non ad probos homines, sed ad *τιμίους θεῶν*, quod epitheton desiderat, referendum. Delectabantur illi dii bonorum, quum in vita essent, probitate, itaque propitii eos post mortem excipiunt.

V. 74. *ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ κεφαλάς.*

Sic primus scripsit Bœckhius e scholiis, quum codd. habeant *στεφάνους* aut *στεφάνοις*. Illud identidem defendit Kayserus zeugma inesse statuens quasi sic dicatur: *τῶν ὅρμοισι χέρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοισι κεφαλάς.* Sed unum *κεφαλάς* legerunt scholia vetera, de quo dubitandum eo minus est, quod diligenter inspectis scholiis fons et origo lectionum *στεφάνους* et *στεφάνοις* statim deprehenditur. Offensioni scholiastis fuit dativus *ὅρμοισι* et accusativus *χέρας*, quia manibus serta plecterentur. Itaque inepte somniarunt de casuum enallage, ut Vrat: *κατ' ἐναλλαγὴν δὲ πτώσεως εἶπεν*,

ἀντὶ τοῦ χερσὶν ἀναπλέκουσιν ὅρμους καὶ στεφάνους. Sic in codd. irrepsit στεφάνους, quod a posterioribus rursus, ut ὅρμοισι conveniret, mutatum in στεφάνοις, id quod schol. rec. docet. Atque plane idem cognoscitur e cod. Vrat. B Schneid. Inde, ut ex pluribus aliis locis, perspicuum est, multo minus auctoritatis inesse in codicum quam in scholiorum veterum lectionibus.

V. 95. Postquam laudavit Theronem propter beneficentiam et liberalitatem sic pergit:

ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος
οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν,
τὸ λαλαγῆσαι ἐθέλων κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς
ἔργοις. ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν·
ἐκεῖνος ὅσα χάρματ' ἄλλοις ἔθηκεν
τίς ἂν φράσαι δύναιτο;

Dubitatum est quid ex his sententiis ad Theronem pertineat, quid generaliter dictum sit. Sic Heimsœth verba ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος generalem sententiam continere et hoc dicere ait: „sed laudem fastidium sequi solet.“ Contra scholl. vet.: ἀλλὰ τὸν ἔπαινον κόρος ἐπέβη καὶ ὕβρις ἄδικος. Recte, opinor. Ac perperum Heimsœth eam interpretationem erroris convinci affirmat verbis ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις, quæ non nisi in generali sententia dici possint. In errorem inductus est, quum non satis distingueret inter singulas orationis partes. Nam utique generaliter dicta sunt hæc: τὸ λαλαγῆσαι ἐθέλων κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις, quia id continent, quod ubique fere cum invidia et obtrectatione coniunctum esse solet. Nec tamen ideo non licet verba ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος ad Theronem referre, immo vero ad eum referenda sunt necessario atque id ipsi Theroni accidisse significant, ut cognoscere licet statim ex οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν, maxime vero e versibus tribus ultimis, quibus hoc significatur: *innumerabilia sunt beneficia et gaudia, quæ Thero aliis paravit.* Huius sententiæ consulto in initio positum est ἐπεί (cuius vim non satis aperuit Bœckh. nott. critt. p. 361), quo clarius appareret, cur οὐ δίκᾳ invidorum sermo diceretur invasisse laudem Theronis. Sic demum carminis exitus, qui pulcherrimus est et fortissimus et plane Pindaricus, recte intelligitur cerniturque ultimorum verborum gravitas præclara, id quod facilius senties ex hac enunciatorum complexione: Iuro centum annis hanc urbem civem tulisse magis beneficum ac liberaliorem Therone neminem. Sed eius laudem invasit, non iuste, sed a stultis profecta invidia, quæ amat obstrepere et bonorum bene factis obscuritatem offundere. Nam qui arenam numeraverit, is demum, quot et quanta ille gaudia aliis paraverit, indicare potuerit.

Verum post absolutam de singulis disputationem dicendum de arte, qua poeta in hoc carmine componendo versatus est, nec vereor, ne longius excurrens sermo reprehendatur, quum sciant huius rei peritiores existimatores, in hoc genere nondum satis aut plane sic, ut oportet, elaboratum esse.

Ac dispescitur totum in partes duas, quarum prima est de fatis præteritis bona malaque fortuna mixtis, in altera monstrantur beata et læta bonis viris destinata. Porro tribus locis laudatur Thero, in prooemio, inter mediam utramque, quam dixi, partem et in epilogo. Sic autem dispositæ sunt illæ laudationes, ut partium quas statuimus utraque iis quasi comprehendatur et contineatur. Atque diversæ inter se sunt laudationes, breviores sunt primo loco posita (v. 5 — 7) et media (v. 46 — 52), prolixior et contentiosior, quæ est in epilogo. At quæ est in prooemio annexa causæ carminis,

victoriæ nominibus Iovis et Herculis adhibitis magnificentissime insignitæ, in summa brevitate gravissima est laudatio, quia ibi paucissimis verbis comprehenduntur universe Theronis virtutes et inprimis qualis sit in civitate et in re publica. In medio loco celebratur splendor victoriarum, quæ Theroni et fratri contigerint, et studium acre, quod victoriis excitetur, meritorum ulteriorum et laudum novarum. In epilogo laudatur Theronis benignitas et infinita liberalitas in amicos et privatos. Contentiose autem agit in epilogo tanquam indignatus ac subiratus, quod ne spectatissima quidem in benignitate homines invidi et ingrati obtrectatione abstinuerint. Præmisit illi contentioni suum cum adversariis certamen, ut solet suas cum victorum rebus coniungere, cf. Nem. IV, 33 sqq. et Nem. VII. Habes iam externam aliquam carminis formam brevemque adumbrationem.

Sed si de interiore carminis ratione quæres, quum eximia virtus huius generis in eo cernatur, ut rerum inter se quamvis diversarum varietas summæ cuiusdam ac dominantis sententiæ quasi filo coniungatur et sic contineatur, ut ea sententia, quum intermittere nonnunquam visa sit, repente recurrat et, licet non in partibus singulis a poeta verbis expressa, tamen menti auditoris sponte obversetur; profecto eam laudem in hoc carmine summam esse reperies. Atque augetur ea laus, quum et simplex est sententia illa, quam principalem dicimus, et ad argumentum, quod tractatur, multis rationibus, plus quam exspectaveris, magis magisque sentitur pertinere. Sic membra singula, tanquam corpus ab animo, penetrantur et ad vitam vocantur et ad mentis dominantis ministeria coeunt. Est autem simplicissima carminis sententia hæc: *Magnæ sunt fatorum vi humanarum rerum vicissitudines, at bonos suum præmium manet*. Prior autem sententiæ pars quum per se vera est et in omnes homines cadit, tum inprimis valet de Therone, insidias, inimicitias, bella vel a propinquis experto, quarum rerum cognitionem Bœckhii doctrinæ et sagacitati admirabili debemus. Sed magis ad rem pertinet sententia, quum valeat iam de Theronis maioribus Emmenidis, qui *καμόντες πολλὰ θυμῷ* Agrigentum venerunt ibique potentes et beati facti sunt *γνησίαις ἐπ᾽ ἀρεταῖς*. Hæc verba (v. 8 — 11), in quibus primum illa sententia apparet, quamvis leviter monstrata potius quam diserte expressa, quasi prolusionem posuit totius argumenti. Verum vehementius movemur et gravissima admiratione afficimur, quum eandem fatorum legem videmus dominatam esse iam in antiquissimos, de quibus fama exstat, Emmenidarum maiores, in Cadmum et in eius filias (v. 22 — 30). Eadem lex rursus conspicua fit in gravissimis casibus eorum, qui post Cadmidas Emmenidarum maiores fuerunt, Labdacidarum, Laii, Oedipi, qui *μόριμος* utique *υἱός* fuit, et in eius filiis interemtis horribili *ἀλλαλοφονίᾳ*, vocabuli sono rei atrocitatem referente. Sed ut ubique poeta curavit, ut cerneretur etiam alterum illud, post ærumnas sequutas semper esse res hilariores easque prævaluisse, velut ad Emmenidas venit v. 10. *αἰὼν μόρσιμος πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων*, velut Cadmi filiabus apud immortales habitatio est v. 25 — 30; sic etiam post Oedipi filiorum exitum atrocem sequuta est læta sors Thersandri v. 48, quo demum, quum ab eo originem ducant Emmenidæ, clauditur narratio fatorum gentiliciorum et ad Theronis fortunam victoriamque præsentem reditur.

Animadvertes autem tres propositas esse ex historia fabulisque petitas imagines eandam rem prodocentes, qui numerus ad confirmandum id, quod volebat, aptissimus est. Simul autem imagines singulæ interiectis sententiis quibusdam rem illustrantibus distinguuntur ac distinentur. Atque operæ pretium est cognoscere, quomodo tres illas

imagines e temporibus diversis sumtas ordinaverit. Non enim hic illud sequitur, quod de Ol. VII observavimus introd. p. 130 sqq. coll. p. 98 sqq., ubi recte ac rei convenienter a novissimo exemplo per superiora adscendit ad antiquissimum; sed hic alia ratione ductus primum posuit exemplum novissimum Emmenidarum v. 8 sqq. Deinde eandem sententiam de remotissimis quoque familiæ originibus valere affirmaturus repetit antiquissima tempora Cadmi, v. 22 sqq., unde sponte decurrit oratio ad Labdacidarum exemplum, quo eadem res confirmatur, tempore quidem medium, sed propterea hic positum, quia redeundum erat ad Emmenidas et ad res præsentes, quod optime fiebat per Thersandrum, quippe ex Labdacidis eum, in quo lætior sors rursus apparuisset. Simul eo nomine Theronis gentem antiquissimam et nobilissimam esse significavit.

Sic absoluta est magna et ampla fortunæ, quæ in illa domo fuit, imago, in qua prospectat ulteriora semper ac remotissima tempora easdem usque res referentia mens auditoris perculsa. Unum addendum est, quod facile lector persequetur admonitus, ambagibus ipsis rerum enarrandarum, quæ varie interrumpuntur sententiis interpositis, quasi in sententiæ principalis sinum ac recessum conducentibus, poetam insigni arte imitatum esse vicissitudines rerum.

Contra plane mutata est orationis forma in altera parte sententiæ exponenda, quæ est de præmiis bonos et in hac et in futura post mortem vita excipientibus. Nam ut in priore parte non uno tenore, sed varie inflexa huc illuc convertebatur oratio, sic in altera parte v. 57 — 83. plane et tranquille progreditur, non digressionibus ullis impedita, sed large ac sedate profluens in lætissimam effunditur descriptionem vitæ et conditionis eorum, qui sint in beatorum insulis. Atque abreptus rei pulchritudine vel ultra modum videtur extendere descriptionem iis, quæ addita sunt de Achillis rebus gestis v. 80 — 83. Sed simulate id fieri, nec temere id egisse poetam, ut præter rem in eam digressionem excurrere videretur, lector quivis attentior facile intelliget. Est enim ea abundantia modique transgressio simillima rationi sonorum e citharæ chordis defluentium, quorum nonnulli, desinente iam manu plectrove, ultra carminis modum numerumque sonare aliquamdiu pergunt et, dum grate blandeque ad aures adlabuntur, diutius etiam animo retinentur. Sic manet ex illa descriptione, præter Pelei Cadmique nomina, etiam Achillis imago cum rebus ab eo gestis et diutius volutatur auditoris animo.

Etenim hæc sunt e genere illorum telorum, quæ poeta dicit *φωνᾶντα συνετοῖσι*, sed a vulgo non intelligi, atque adeo, quod Kayserus lectt. docuit, reprehendi a poetis æmulis et invidis tanquam aliena, qualia ingenium luxurians et immoderatum ludat. Verum sentiunt auditores sapientes, propterea in vita beatorum describenda tamdiu morari poetam et propterea heroes singulos, sua quemque virtute insignem, in insulas illas delatos nominari, quia excitare Theronem velit ad spem futurorum præmiorum. Nec tamen id aperte dicit, sed potius caste ac verecunde tegit miro transitu, dum telorum suorum vim defendit, alio deducere auditorum mentes visus. Tum vero v. 89. sumit unum e suis telis, non occultum illud sed iam apertum, iaculaturque insigni coniectu ac felici, Theronis laudans mores probos, mansuetos, benevolos. Quos quo impensius ac iustius laudat, eo magis defendit et confirmat ea, quæ de spe beatitudinis futuræ tacite significaverat.

Sic vides apte singula inter se cohærere atque interiori carminis rationi consilioque rerum ordinem formamque externam egregie convenire.

Olymp. III.

Hercules ex Hyperboreis a fontibus Istri oleastrum sacrum Olympiam attulit, v. 15.

μνᾶμα τῶν Οὐλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων,
δᾶμον Ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θεράποντα λόγῳ.
πιστὰ φρονέων Διὸς αἴτει πανδόκῳ
ἄλσει σκιαρόν τε φύτευμα ξυνὸν ἀνθρώποις στέφανον τ᾽ ἀρετᾶν.

Sic locum constituit Bœckhius, quem sequutus est Schneidewinus. Miramur autem v. 17. *Ἄλτει* a Koenio inventum apud Gregor. Cor. p. 219. ed. Schæf. et a libro Gregorii confirmatum, ab Hermanno commendatum et a Bergkio, ut par erat, receptum, a Schneidewino repudiatum esse. Primus receperat Ahlwardtus, ut e Bœckhii disp. de crisi Pind. §. 26 cognoscimus. Bœckhius autem lectionem vulg. *αἴτει* ibi studiosissime defendit. Non recte. Nam ut *Διὸς Ἄλτει* damnaretur, factum est propterea, quod proxime sequeretur *πανδόκῳ ἄλσει*, quod intolerabile videbatur. Itaque corruptum esse *Ἄλτει* iudicatum est. Contra Hermannus *Ἄλτει* probans eius glossema suspicatus est esse *ἄλσει*, quo vocabulum Pindaricum expulsum esset. At utrumque et *Ἄλτει* et *ἄλσει* verissimum est. Quid autem produnt libri manu scripti mira lectionis fluctuatione? quid grammatici veteres frustra laborantes in eo, ut persuadeant, *αἴτει* descendere a substantivo *αἶτος*, quod *ἐνδιαίτημα* significet? Nempe corruptelam esse antiquissimam et *αἴτει* hoc loco cum verbo *αἰτεῖν* nihil habere posse commune. Etenim videbant sumto *αἴτει* *postulabat* durum et intolerabile existere asyndeton, quod explicari vel excusari nullo modo posset, id quod suo iure contendit Hermannus opp. VI, p. 18. Contra sumto *Ἄλτει* positoque, ut Bergkius facit, post *λόγῳ* commate magni placidique amnis instar defluit orationis periodus Pindaro dignissima, qualium plus quam unam grammatici veteres male seduli cum magno orationis damno apud Pindarum discerpserunt. Sic restituit nuper post Schmidium Hermanno et Kaysero suadentibus Ol. II, 46 recepto *ἔχοντα* periodum Schneidewinus. Sic restituimus alium locum Comm. part. I. p. 31. Aliud exemplum est Ol. VI, 62, de quo infra dicetur. Ac nostro quidem loco periodus participiis duobus *πείσαις* et *πιστὰ φρονέων* fulcitur graviterque perducitur. Neque offendendum est in eo, quod post *Ἄλτει* proxime sequitur *ἄλσει*, cf. locum a Bergkio laudatum Ol. XI, 45. *σταθμᾶτο ζάθεον ἄλσος πατρὶ μεγίστῳ· περὶ δὲ πάξαις Ἄλτιν μὲν ὅγ᾽ ἐν καθαρῷ διέκρινε.* Noli denique opinari *ἄλσει* post *Ἄλτει* abundare. Duplex enim consilium sequutus est Hercules, *ἄλσει* prospexit *σκιαρὸν φύτευμα ξυνόν* parans, *ἀνθρώποις* autem *στέφανον ἀρετᾶν*. Utroque autem prodidit, quantopere cordi esset *Διὸς Ἄλτις πάνδοκος*, itaque præmissum *πιστὰ φρονέων*.

In fabula narranda tractum quoddam placidumque dicendi genus poeta sequutus est epico quam lyrico sermoni similius, unde formulæ nonnullæ orationis prolixiores epicique generis colorem et verbositatem referentes, velut v. 25.

δὴ τότ᾽ ἐς γαῖαν πορεύειν θυμὸς ὥρμαιν᾽
Ἰστρίαν νιν.

Sic recte volgo, unde non recte discessit Bergkius scribens *Ἰστριανάν* et addens: *πορεύειν idem est quod alias πορεύεσθαι dicitur.* Hic vero verbi *πορεύειν* usus exemplo caret, neque omnino est, quod ad rem adeo inusitatam confugere nos cogat.

Recte construxit Dissenius: *ὁ θυμὸς (αὐτοῦ) ὥρμαινε* (volvebat) *πορεύειν νιν ἐς γαῖαν Ἰστρίαν*. Eaque locutio pro simplici: *reputavit secum et consilium cepit proficisci in Istriam*, aptissima hic est, quia quasi ante oculos nobis ponit Herculem dubitantem et quia æque desiderium eius ac deliberationem reique exsequendæ difficultatem significat.

Simili de causa defendendum v. 32. *τόθι δένδρεα θαύμαινε σταθείς* imperfectum, pro quo fuit qui mallet *θαυμαίνει*, et Kayserus, quum schol. explicet *ἔνθα στὰς ἐξεπλάγη* proposuit *θαύμανε* aoristum. Imperfectum consulto positum est a poeta significante: *aliquantisper adstabat miratus*. Diversa est ratio verborum *ἴδε* v. 31 et *ἔσχεν* v. 33.

V. 34. *καί νυν ἐς ταύταν ἑορτὰν ἵλαος ἀντιθέοισιν νίσσεται σὺν βαθυζώνου διδύμοις παισὶ Λήδας*. Argutatur Heimsœth hæc verba de theoxeniis Agrigenti celebrandis accipi vetans et referens *ταύταν ἑορτὰν* ad Olympia. Recte interpretes ad Agrigentinorum diem festum retulerunt. Poeta enim diutius moratus in narratione de oleastro repente ad Theronis theoxenia transit brevitate pulcherrima, quod ipsum fraudi fuit Heimsœthio. Efficit enim poeta quod in procemio significaverat, se cum Theoxeniorum laude in Tyndaridarum celebratione laudem victoriæ Olympicæ coniuncturum. Qua commemorata aptissime laudat Herculem narrans fabulam de oleastro, unde præter exspectationem celeri motu venit ad res præsentes. „Et venit nunc propitius ad hæc solemnia Hercules una cum filiis Ledæ, qui nunc Agrigenti hospitio excipiuntur. Nam coniunctissimus est ille Olympiorum auctor cum Tyndaridis, quippe quos terram relinquens ludis a se conditis præfecerit.“ Sic victoriæ cum Theoxeniis coniunctam celebrationem egregie expressit Herculis cum Tyndaridis ad Theronis sacra venientis imagine.

Quum procemii mentionem fecerim, obiter tangenda sunt verba v. 6. *ἐπεὶ χαίταισι μὲν ζευχθέντες ἔπι στέφανοι πράσσοντί με τοῦτο θεόδματον χρέος*, in quibus erravit Dissen de *corona Theronis* cogitans et *ζευχθέντες* explicans: *ab Hellanodicis impositæ, decretæ*. Immo recte Bœckhius: *χαῖται sunt comissantium et victoris*. Coronas gerebat Græcorum consuetudine quisquis solemnibus celebrandis intererat.

V. 38. *ἐμὲ δ' ὦν πα θυμὸς ὀτρύνει φάμεν Ἐμμενίδαις*
Θήρωνί τ' ἐλθεῖν κῦδος εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν, ὅτι πλείσταισι βροτῶν
ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέζαις.

Illud *πα* v. 38. præbent scholl. vett. et codd. fere omnes. Defendit identidem Kayserus et restituit Bergkius. Contra Bœckhius *πα* otiosum ratus ex uno cod. scripsit *πὰρ θυμὸς ὀτρύνει*, pro quo acriter pugnat Schneidewin. At recte illi, qui *πα* amplexi sunt, etsi parum accurate defenderunt. Minime otiosum *πα* nec ieiunum. Poeta enim dicturus: iubet me animus dicere gloriam contigisse Emmenidis Tyndaridarum *fere* beneficio propter pietatem, suspicionis et opinationis illud signum *πα*, quod verbis *διδόντων Τυνδαριδᾶν* apponi debebat, potius primis enunciati verbis inseruit, quo statim in principio enunciati significaret se aliquam suspicionem suam prolaturum, idque rectissime sic posuit. Nemo enim facile, cuius quidem aures essent tersæ, voculam trahebat ad *ὀτρύνει* vel ad *φάμεν*, sed ad *εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν* referre cogebatur, in quibus verbis, non in *Ἐμμενίδαις Θήρωνί τ' ἐλθεῖν κῦδος*, potior versatur orationis gravitas atque pondus præcipuum, prout postulabat Theoxeniorum festus dies, atque flagitat sententiarum tenor et carminis totius ratio. Itaque etiam comma post *κῦδος* vulgo positum sustuli.

V. 42. εἰ δ' ἀριστεύει μὲν ὕδωρ, κτεάνων δὲ χρυσὸς αἰδοιέστατον,
νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θήρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν.

Locum variis opinionibus præpeditus non recte tractavit Dissen. Sententia hæc est: Ut in quoque genere est, quod sit præstantissimum, in rebus ad usum pertinentibus aqua, in possessione aurum, sic inter certamina præstant Olympia; quæ quum Thero vicerit, ad decora summa ei nihil deest. ἀρεταί hoc loco non sunt simpliciter *virtutes*, quod Dissenio visum, nec satis recte propter νῦν γε Bœckhius *de sola victoria* intelligit. ἀρεταί complectuntur et virtutes et victorias, sunt omnino decora viro expetenda, quorum numerum Thero ceteris decoribus insignis (vid. Ol. II.) νῦν γε, hac victoria Olympica, explevit. Ceterum recte Heimsœth eos reprehendit, qui οἴκοθεν de insitis genti vel Theroni virtutibus acceperunt. Summa felicitas describitur imagine longinquitatis viæ a domo usque ad Herculis columnas, ut Isth. III, 30.

Hermannus autem opp. VI, p. 67. ex his Pindari verbis dubitationes quasdam acutissimas movit de carminum temporibus, ex quibus unam tractabimus gravissimam. Primum enim animadvertit, sententiam de auri et aquæ præstabilitate hoc loco satis præter exspectationem accidere. Magis etiam mirum hoc esse ait, quod ea sententia iisdem fere verbis recurrat, quæ Ol. I, princ. legantur. Eaque res ita esse comparata videtur Viro Summo, ut non possis non suspicari, quæsitam fuisse a poeta, ac consulto respici verbis odæ tertiæ exordium primæ celebratissimum. Videri enim poetam dictum illud novum ἄριστον μὲν ὕδωρ, agitatum fortasse a derisoribus, pertinaciter iterando amplecti in eoque perstare quasi in contemtum eorum, qui verba illa carpere ac ridere soleant. Iam quum Bœckhius Hieronis victoriam cum carminibus Ol. II et III ad Olymp. 76 retulerit, non dubitat quidem Hermannus de Theronis victoria ad Olymp. 76 referenda (nec licet dubitare, quia Thero, quod Bœckhius expll. p. 208 sqq. demonstravit, secundum Diod. Sic. XI, 53. defunctus Ol. 77, 1. iam erat); sed utramque victoriam, Theronis curulem, Hieronis equestrem eidem Olympiadi assignandam suspicatur, sic ut carmine Ol. III paullo post carmen Ol. II composito respici ad prooemium Olympici primi potuerit. Prætermittimus alias suspiciones Hermanni cum illa quæstione coniunctas, quæ aut cadent aut stabunt, prout decretum fuerit de tempore, in quod Ol. I incidat.

Itaque quæritur, num Ol. I ad Olymp. 76, quemadmodum voluit Hermannus, referri possit. Potest, si carmen in Græcia compositum est, sin autem in Sicilia, non potest. Nam in Græcia fuit Pindarus, quum componeret Ol. XIV, quod carmen ad Olymp. 76. diserte refert schol. vet., de quo tempore non est cur dubitemus. In Græcia fuit, quum Ol. VI componeret, quod carmen cur Olymp. 76, non ut Bœckhius statuit 78, factum existimaremus, in introd. p. 50 indicatum est. Quid quod vel Pythia oda I, quæ in Olymp. 76, 3. incidet, in Græcia composita est, non in Sicilia? Atque in Græcia scriptam colligas vel inde, quod absoluta Aetnæ eruptionis descriptione v. 26. dicit: τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι, quæ ultima verba indicare videntur, auditione id accepisse poetam, non ipsum vidisse. Ex quibus omnibus consequitur, Ol. 76 in Græcia fuisse Pindarum, et post eius Olympiadis annum tertium demum, anno quarto in Siciliam profectum esse. At in Sicilia compositum esse carmen Ol. I, unum est signum certissimum v. 16. οἷα παίζομεν φίλαν ἄνδρες ἀμφὶ τράπεζαν, quæ aliam interpretationem non admittunt, præter hanc,

Syracusis apud Hieronem tunc versatum esse poetam. Ergo ad Olymp. 77 referendum Ol. I, ut rectissime visum est Bœckhio. Iam quum nemo contra Diodori testimonium disertum Theroni etiam ultra Ol. 77, 1. vitam prorogaverit, corruunt suspiciones Hermanni. Reliquum igitur est, ut confiteamur, imaginem illam aquæ et auri poetæ ideo placuisse, quod maxime idonea esset, ut revera est, ad præstantissima suo quæque in genere significanda. Idcirco ea formula, ut aliis quibusdam imaginibus, plus quam semel usus est, v. c. Herculis columnis Ol. III, 46. Nem. III, 21. Isthm. II, 30. Cuius generis plura collegimus introd. p. 114 sqq.

Olymp. IV.

V. 6. *ἀλλ' ὦ Κρόνου παῖ.* Quum esset, cui non displiceret lectio Pal. C. *ἀλλὰ Κρόνου παῖ*, monendum est, fortiorem illam appellationem omisso *ὦ* (cf. Herm. opp. VII, p. 143) in hunc locum non cadere, quum Iupiter paullo ante appellatus sit.

V. 8. *Ὀλυμπιονίκαν δέκευ*
Χαρίτων θ' ἕκατι τόνδε κῶμον.

Sic libri meliores et scholl. vett., quibus in explicanda particula *τε* labor est. Expunxit *θ'* Bœckhius, quem sequitur Schneidewin. At recte restituit Bergkius, quanquam non debebat scribere *Ὀλυμπιονικᾶν*. Rectius scripsisset *Ὀλυμπιονίκα*, quum de uno victore Psaumide hic cogitare liceat. Verum ne hoc quidem bonum, sed *Ὀλυμπιονίκαν κῶμον* ipso commendatur usu Pindarico. Ol. III, 3. *Ὀλυμπιονίκαν ὕμνον.* Ol. VII, 88. *ὕμνον τεθμὸν Ὀλυμπιονίκαν.* Similiter Pyth. VI, 5. *Πυθιόνικος θησαυρός.* Servato *θ'* sic dicitur ac si ex *Ὀλυμπιονίκαν* ad *ἕκατι* intelligatur *Ὀλυμπίας.* Iovi et Olympia cara est et caræ sunt Gratiæ. Propter utramque causam rogatur accipere victoris pompam solemnem.

V. 19 sqq. Quum Argonautæ Lemnum appulissent ibique spectantibus mulieribus Lemniis certamina agerent virtutis experimenta præbituri, quumque in stadium *ὁπλιτοδρόμων* prodisset Erginus præcanus ideoque derisus a mulieribus, tamen vicit et accedens ad Hypsipylen Lemniarum reginam exemplo forti ac decoro similique moribus equitum medii ævi his verbis alloquutus est, quæ nunc sic distinguuntur:

Οὗτος ἐγὼ ταχυτᾶτι.
χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον.

In scholl. autem vett. et in libris optimis sic: *Οὗτος ἐγώ· ταχυτᾶτι χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον.* Idque recte defendit Kayserus. Contra monent, particulam *δέ* post alterum vocabulum positum repugnare usui Pindarico. Quod autem Pyth. IV, 228. legitur *ἀνα βωλακίας δ'*, et Ol. XI, 99. *παῖδ' ἐρατὸν δ'*, defendi putant, quia natura verba illa tam arte inter se coniuncta sint, ut pæne unum vocabulum efficiant. Verum tamen Ol. VI, 74. ut ineptissimum asyndeton tollatur, cum Schmidio, Hermanno, Bergkio scribendum erit: *τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον· μῶμος ἐκ δ' ἄλλων κρέμαται φθονεόντων.* Atque Ol. XI, 71. flagitatur etiam *ἄκοντι Φράστωρ δ' ἔλασε σκοπόν.* Ibi enim sex certaminum genera et qui victores in singulis exstiterint, enumerantur sic: *σταδίου μὲν — ὁ δὲ πάλᾳ — Δόρυκλος δ' — ἀν' ἵπποισι δέ — ἄκοντι Φράστωρ — μᾶκος δ' Ἐνικεύς.* Vides asyndeton quinti certaminis ipsa enunciatorum forma damnari.

Nec verum est quod dicunt, interpolatos tantum libros præbere *Φράστωρ δ'*, nam etiam Vrat. A ex diligentissima Schneideri collatione habet *ἀκοντιφράστωρ δ'*, quod fugerat eum, qui olim librum in Bœckhii usum contulerat. Itaque nihil est in particulæ sede impedimenti, quominus scribatur *οὗτος ἐγώ· ταχυτᾶτι χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον.* Atque id vel propterea præstat, quia insigniter extollitur vocabulum *χεῖρες.* Erginus enim accedens ad reginam ad accipiendam coronam, *Hic ego*, inquit (i. e. victor curriculi, *ἤτοι ὃν ὑμεῖς ἐμυκτηρίζετε*, ut recte explicat glossa Pal. C); *vidistis pedum pernicitatem, in manibus autem et in animo par pernicitati virtus.* Ob eandem causam, quia immorari debet vox pronunciantis in *χεῖρες*, nolim ego ex Pal. C cum Kaysero scribere *χέρες*, quia officit gravitati sic per dactylos meros volubilius decurrens oratio. Contra quod versum sequentem scripserunt Kayserus et Bergkius:

φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ

recte fecerunt. Valde placet etiam quod Bergkius versus ultimos sic edidit:

θαμάκι πὰρ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον.

Qua scriptura effugitur *καὶ* in vulg. *θαμὰ καὶ*, quod post *καὶ νέοις* satis molestum est. *θαμαί* habebat ante correctionem Vrat. B et *πάρ* pro *παρὰ* præbet Vratislaviensis uterque. Nec vero ingrati sunt numeri.

De epodi interpretatione video non constare inter viros doctissimos. Sed missis aliorum sententiis, quas referre et inter se contendere longum est, quid nobis videatur proferamus. Exitus enim carminis inprimis festivus et hilaris est, quod statim nunc observare utile erit. Postquam laudavit Psaumidis studia equestria, hospitalitatem, mores civiles et mansuetos, veram eam laudem esse cognosci ait experimento. Igitur voci *διάπειρα* leviter annexa sunt quæ continet epodus. Narrat enim fabulam, in qua experimenti vis et potestas cernatur, facitque id more simili atque senes nostros festivos, inprimis rusticos, quum proverbium usurpant, audimus simul narrantes, quis illo proverbio et in qua re facta luculenter usus sit, ut eius rei cum auctoris nomine memoria in vicis et oppidis per ætates plures tradatur. (Talia sunt apud Pindarum Ol. VI, 12 sqq. verbum Adrasti, Pyth. VIII, 39 sqq. Amphiarai verbum; alia.) Iam hoc vult poeta: Psaumidis laudes manifestat experimentum, ut manifestavit olim Erginum; in re dissimili. Nam in eo nimius fuit Dissenius, quod ob adhibitum Ergini exemplum derisum putaret Psaumidem quoque Olympiæ propter canitiem. Nam cur cum viris doctis nonnullis scholiastæ, *νεώτερον μὲν τῷ χρόνῳ, προπόλιον δὲ τὴν κόμην* et propter canitiem derisum a mulieribus ut certamini non idoneum Erginum narranti, non credamus, causam nullam omnino video. Causa enim necesse est fuerit, cur derideretur Erginus. Et conveniunt scholiastæ verba e fonte, qui nobis periit, petita cum iis, quæ poeta ipse significavit versibus tribus ultimis, ut de ea re dubitandum non sit. Male autem Dissenius premebat ea, quæ a scholiastis traduntur de Ergino *(ἐγελᾶτο)*, quum id transferret etiam in Psaumidem. Nihil enim ridiculi in studiis equestribus Psaumidis licet ætate provectioris, nisi forte ridiculi fuerunt Thero et Hiero, qui seniores erant, quum Olympia vincebant. Potuit fortasse, non nego, Psaumis reprehendi ab invidis nonnullis et avaris divitibus propter sumtus in certamina erogatos, quales sunt quos Pindarus notat Isth. I, extr. *εἰ δέ τις ἔνδον νέμει πλοῦτον κρυφαῖον, ἄλλοισι δ' ἐμπίπτων γελᾷ, ψυχὰν Ἀίδᾳ τελέων οὐ φράζεται δόξας ἄνευθεν.* Potuit igitur Psaumis hoc modo dici reprehensorum sermones refellisse et *ἐξ ἀτιμίας* liberari. Quanquam ne

hoc quidem necessarium esse credo, sed illud *ἔλυσεν ἐξ ἀτιμίας* ad solum Erginum referri satis habeo. Igitur illud quod dicunt tertium, quod comparando existit, in nulla alia re positum erit, nisi in experimento, quod qualis quisque sit, evincere solet. Sed existit tamen verbis extremis aliud novum, quasi fortuito emergens, non sine leni hilarique ioco. Provectiorem enim ætate tum fuisse Psaumidem patet e verbis pulcherrimis Ol. V, 21. *σέ τ', Ὀλυμπιόνικε, Ποσειδανίαισιν ἵπποις ἐπιτερπόμενον φέρειν γῆρας εὔθυμον ἐς τελευτάν, υἱῶν, Ψαῦμι, παριστ αμένων*, et canum, non præmature, sed iuste fuisse illum consentaneum est. Quare sive Ergini sive poetæ sunt illa: *φύονται δὲ καὶ νέοις κτέ.*, cum faceta quadam hilaritate ea senties proferri, quasi dicat: Quid mirum senex fortis et alacer subcanus, quum excusetur canities in iuniore?

Olymp. V.

V. 15. 16. *αἰεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται πρὸς ἔργον*
κινδύνῳ κεκαλυμμένον· εὖ δὲ ἔχοντες σόφοι καὶ πολίταις ἔδοξαν ἔμμεν.

Hæc librorum lectio non ferenda propter hiatum. Quod inde fecerunt Bœckhius *εὖ δὴ ἔχοντες*, Hermannus *ἠὺ δ' ἔχοντες*, habere quod displiceat, recte dicit Kayserus. Iam quum Bœckhius coniecisset *εὖ δὲ τυχόντες*, idque postea abiecisset, Kayserus *εὖ δὲ τυχών τις σόφος καὶ πολίταις ἔδοξεν ἔμμεν* suspicatur. Mihi quidem quod Bœckhius coniecerat *εὖ δὲ τυχόντες* verissimum videtur. Nam quod Kayserus ait: debere unum civem, qui victor sit, omnibus ceteris opponi, id nihil facit ad rem, quia in sententia generali sane plurali locus est. Atque satis hoc convenit sententiæ: opera, sumtus et periculum magna sunt, sed quibus contigit assequi quod voluerunt, ii sapientes habentur. Præterea tenendum, *εὖ ἔχειν* alibi nusquam apud Pindarum legi, contra *τυχεῖν*, attingere id quod volueris, præsertim de victoria sæpius. Ol. II, 51. Nem. VII, 11. Accedit denique scholiastes vetus, quem, nisi *εὖ δὲ ἔχοντες* haberet in lemmate, iurares ante oculos habuisse *εὖ δὲ τυχόντες*, quum sic explicet: *εὖ δὲ πράξαντες οἱ ἀρετῆς ἀντιποιούμενοι, ὅ ἐστιν (ἐπιτυχόντες) οἱ νικήσαντες καὶ σοφίας δόκησιν ἔχουσιν.* Sed plus quam semel animadvertisse mihi videor, lemmata scholiis præfixa referre lectiones recentiores, quam quæ in scholiis veteribus explicantur.

Olymp. VI.

V. 1. *Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου*
κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον,
πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
χρὴ θέμεν τηλαυγές.

Multa molitur hic Dissenius, ut comparationem rebus præsentibus accommodatam atque inde ductam doceat, quod comissatio Stymphali habeatur in domo privata amici cuiusdam aut propinqui. Mihi vero hac ratione exordii clarissimi pulchritudo non

illustratur, sed obscuratur. Plura enim sic inferuntur minus convenientia, quæ sensum turbent. Comissationem habitam facit Dissenius in œco, quo quidem intratur per *πρόθυρον*. At qui columnas vestibuli miratur, eum stare oportet ante vestibulum, non in œco. Et loquitur Pindarus de vestibulo, cuius facies late splendeat, quodque extrinsecus spectari debeat. Immo per se constat similitudinis pulchritudo neque eget fulcro alieno. Poeta hoc vult: Insigni carminis argumento insigne præponendum est exordium. Ut in domus ædificatione præponendum dignum et columnis auratis late splendens vestibulum, ita dignum carminis argumento præfigit exordium, paucis verbis colligens, quæ splendida sane felicitate in Agesiam cadant. Est enim Olympiorum victor, est hereditario iure sacrorum et oraculi curator ad aram Iovis quæ est Olympiæ, est ex eorum progenie qui olim Syracusas condiderunt, est denique virtute bellica (v. 17 et v. 86. *ἀνδράσιν αἰχματαῖσι*) insignis. Sic patet aditus carminis columnis auratis clarus.

V. 27. *χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν αὐταῖς·*
πρὸς Πιτάναν δὲ παρ' Εὐρώτα πόρον δεῖ σάμερον μ' ἐλθεῖν ἐν ὥρᾳ.

Rectius hæc interpretatus est Heimsœth. Metaphorice poeta significat sibi canendum esse genus Agesiæ, quod a Pitana prope Eurotam originem habuerit, itaque Pitanam et ad Eurotam sibi hodie esse vehendum; citissimis iam opus esse curribus et mulabus. Iam paratæ sunt. Age igitur, aperiundæ iis sunt carminum portæ, per quas ad Eurotam vehamur.

V. 34. *λάχε δ' Ἀλφεὸν οἰκεῖν* sc. Elatides Aepytus, apud quem educata est Euadne, Iami mater. Itaque Iamus ad Alpheum natus. Et in medio stans Alpheo Iamus adolescens Neptunum avum et Apollinem patrem invocavit v. 58, et munera sibi gentique suæ precatus est et accepit v. 66. *μαντοσύναν* et v. 70. *Ζηνὸς ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ χρηστήριον* Olympiæ, quam præterfluit Alpheus. Vides poetam significare, fausta quadam lætaque fati necessitate Alphei nomen cum Iamidis ideoque cum Agesia coniunctum esse, qui vicit ad Alpheum. — Similiter fortasse propter Iami nomen (v. 55. explicatum) iam v. 30. *Εὐάδναν* appellavit *παῖδ' ἰοβόστρυχον*.

Iamus noctu stans in flumine Neptunum et Apollinem invocavit, ut sibi darent *λαοτρόφον τιμάν τινα.* Audivit eum Apollo. Iam vulgo legitur:

V. 61. *ἀντεφθέγξατο δ' ἀρτιεπὴς*
πατρία ὄσσα, μετάλλασέν τέ μιν· Ὄρσο, τέκνον,
δεῦρο πάγκοινον ἐς χώραν ἴμεν φάμας ὄπισθεν.

Non recepit Schneidewinus Hermanni coniecturam verissimam et plane necessariam *μεταλλάσαντί ἰν*, aut quod cum Kaysero malim *μιν*. Quidquid moliris, non poteris tamen apte explicare vulgatam. *μεταλλᾶν* est *scrutari, quærere*. Iam neque in Apollinem id convenit, ut dicatur quamvis noctu filium invocantem *quæsivisse*, quod hominis fuerit, vix dei alicuius, nedum Apollinis cuncta scientis; nec *scrutari*, *investigare*, *exquirere* illud dici potest, quod inest in verbis Apollinis: *surge*, *fili*, *sequere vocem meam*, quæ potius acclamatio est vel exhortatio. Contra egregie dictum est de filio, qui quum per silentium noctis in flumen descendisset patremque invocans Apollinem ab eo munus vel honorem flagitaret, patris vocem exaudire cupivit eamque cupide exspectavit. Hic recte dici senties: *respondit patris vox quærenti eam*, *surge*, *fili.* Atque illud *μεταλλῆσαι* de filio dici adeo necessarium est, ut in id vel scholiasta inciderit, quamvis vulgata lectione ipse uteretur. Errat enim Kayserus e verbis schol.

ἐφθέγξατο μὲν ὁ Ἀπόλλων, ὁ δὲ Ἴαμος ἐζήτησε τὸν φθεγξάμενον, τίς ἦν, colligens, huic interpreti μεταλλάσαντι lectum esse. Immo is legit μετάλλασέν τέ μιν, sed ut in altero scholio est, perperam confugit ad subiecti mutationem, quasi πατρία ὄσσα ad ἐφθέγξατο et Ἴαμος ad μετάλλασεν intelligi posset.

V. 73. τεκμαίρει
χρῆμ' ἕκαστον· μῶμος ἐκ δ' ἄλλων κρέμαται φθονεόντων
τοῖς οἷς ποτε πρῶτον περὶ δωδέκατον δρόμον
ἐλαυνόντεσσιν αἰδοία ποτιστάξει Χάρις εὐκλέα μορφάν.

Scripsi sic ut scribendum putavi. De ἐκ δ' ἄλλων diximus ad Ol. IV, 18. πρῶτον et ποτιστάξει primus commendavit Kayserus, quem in ποτιστάξει tantum sequutus est Schneidewinus, non Bergkius. Sed etiam πρῶτον præbet non solum schol. vet., verum etiam cod. Pal. C et Vrat. uterque a Schneidero collatus. Et correctionem sapit πρώτοις, quippe quo planior fieret oratio. Deinde nolim cum Dissenio Agesiam iam ad finem properantem dicere expertum esse iniquas invidorum voces, qui immerito, non virtute, eum vincere clamarent. Pindarus enim illam reprehensionem et invidiam dixit, quæ omnino omnes fere virtutes et victorias sequi solet, ut singulare quidquam de Agesia Olympiæ factum colligere non liceat. Illustrat hanc interpretationem egregie pictura faceta apud Panofkam Imagg. ex vita vett. Tab. II, fig. 9. ubi iuveni victori coronam imponit Victoria alata. At sedet a tergo Victoriæ iuvenis alius pennam evellens ex ala Victoriæ. Nec tamen ideo, quia in quemlibet fere victorem invidia cadit, sine causa illud nunc additum dixerim. Recte Bœckhius invidia domi apud Syracusanos pressum fuisse collegit ex pluribus huius carminis locis, quibus addendus etiam v. 7. ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς. Hinc satis cognoscitur, cur poeta illa de μώμῳ dixerit. — Rursus nimius fuit Dissenius in eo, quod e verbis v. 76. αἰδοία ποτιστάξει Χάρις εὐκλέα μορφάν pulchrum per se fuisse Agesiam suspicatus est. Id quidem ex Pindari verbis minime consequitur, sed hoc tantum: victoria victores reddit augustiores et clariores. Sic etiam schol. ἐπεὶ οἱ νικῶντες δοκοῦσιν εὐειδεῖς εἶναι.

Olymp. VII.

V. 1. Φιάλαν ὡς εἴ τις ἀφνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν
ἀμπέλου ἔνδον καχλάζοισαν δρόσῳ
δωρήσεται.

Plurimi libri præbent ἔνδον ἀμπέλου. Sed quum hic versus per omnes strophas et antistrophas incipiat ab epitrito secundo, veri non est simile in hoc uno loco ditrochæum a poeta scriptum esse. Quare ἔνδον ἀμπέλου ab Hermanno opp. II, p. 110. commendatum videtur præferri debere. Quod autem idem vir doctus Ol. III, 26. pro Ἰστρίαν νιν scribi voluit Ἰστριηνάν, videtur tamen syllaba brevis νιν habere excusationem, quam Schneidewinus ei quærit ex litera liquida pronunciatione geminanda, potius equidem petierim ex interpunctione. — Ceterum schol. præeunte interpretes omnes verba ἀπὸ χειρὸς ἑλών iungunt: *e manu sumens.* Mihi potius ἀπὸ χειρὸς iungendum videtur cum δωρήσεται et ἑλών amplificationis poeticæ causa interpositum: Phialam sumtam e manu tradit in manum genero.

V. 20 sqq. *ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπολέμου*
ξυνὸν ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον
Ἡρακλέος
εὐρυσθενεῖ γέννᾳ.

Dissenius *ξυνόν* non recte explicat *communem filio patrique seu omnino familiæ laudem.* Est potius *narratio communis Rhodiis*, saltem quotquot ex iis sunt Heraclidæ, *Ἡρακλέος γέννᾳ.*

V. 24. *ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρασὶν ἀμπλακίαι*
ἀναρίθμητοι κρέμανται· τοῦτο δ' ἀμάχανον εὑρεῖν,
ὅ τι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν.

De hyperbato *ἐν καί* Hermannus egit apud Jahn. Annall. 1841. m. Dec. scripsitque *ὅ τι νῦν, εἰ κἂν τελευτᾷ.* Tenent autem *ἐν καὶ τελευτᾷ* plurimi libri, etiam Pal. C et Vratt. Sed opus est ut pluribus verbis de hac formula agatur. Præter hunc locum ter nunc quidem in Pindari epiniciis legitur *ἐν καὶ*, et quarto loco Pyth. 1, 35. olim Hermannus *ἐν καί* legendum esse suspicatus erat, sed non obsequutus est Bœckhius. Iam ex tribus illis locis duo sunt, in quibus certa sit librorum lectio, Ol. II, 28. *λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ*, et Nem. VII, 31. *πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα.* Tertio autem loco Pyth. X, 58, ubi nunc quidem legitur ut olim Hermannus coniecerat, *ἐν καὶ παλαιτέροις*, libri habent contra metrum *ἐν τε παλαιτέροις*, et Hermannus nunc *ἔν τ' αὖ παλαιτέροις* scribi vult, ut duo tantum superesse videantur loci, in quibus certa sit lectio, neque ii plane inter se similes. Nam Ol. II, 28. *καί* est *etiam*, „dicunt etiam in mari vitam sempiternam esse Cadmi filiæ.“ Verum Nem. VII, 31 est: „mors cadit et in obscurum et in clarum virum“, ibique, quia sit pro *ἐνέπεσεν ἀδόκητον καὶ δοκέοντα*, Hermannus scribi iubet *ἀδόκητον ἓν καὶ δοκέοντα.* Patet igitur, etiam hunc locum aliquatenus dissimilem esse ei, quem nunc tractamus ex Ol. VII. Sed tamen, quum Nem. VII sit: æque in obscurum atque in clarum, hoc commune habet cum nostro, quod ibi *καί* est *æque atque*, id quod etiam Ol. VII desideratur. Apparet enim hoc dici debere, non, quod nunc bonum est num etiam in exitu bonum futurum sit, sed quod et nunc et in fine optimum sit, ac si dixeris *νῦν τε καὶ ἐν τελευτᾷ.* Poeta enim id agit, ut demonstret, initia sinistra sæpe vertere in exitum faustissimum; difficile igitur esse invenire id, quod et nunc placeat et in fine placiturum sit. Nec tamen ideo opus ut scribatur, quod alicui in mentem venerit, *νῦν τ' ἐν καὶ τελευτᾷ.* Nam etiam nos hac vi particulæ utimur fortius pronunciatæ: „jetzt *und* am Ende,“ in quo sentis maiorem vim tribui membro posteriori per particulam copulativam sic fortiter adiuncto. Hoc ipsum puto Pindarus assequutus est particulæ traiectione. Vulgata igitur retinenda est defensa ab omnibus fere libris et ab Eustathio prooem. Pind. 11. ed. Schneidew. Iam patet etiam Pyth. X, 58. retinendum *ἐν καί*, quum consentaneum sit a librariis in formula rara *καὶ* mutatum esse in *τε*, ut neque *ἔν τ' αὖ* opus sit. Postremo Pyth. I, 35 non improbabile est, quod Hermannus suasit: *ἐοικότα δ' ἐν καὶ τελευτᾷ φερτέρου νόστου τυχεῖν*, pro eo, quod in editionibus nunc legitur: *ἐοικότα γὰρ καὶ τελευτὰν φερτέραν νόστου τυχεῖν.*

V. 44. *Προμαθέος αἰδώς.* Recte interpretantur *prudentiæ reverentiam*, nam Prometheum ut prudentiæ principem reverentur ii, qui prudentia utuntur, quocirca non est, ut cum Schœmanno ad Aesch. Prom. p. 285. *προμηθέα* h. l. nomen appellativum esse dicamus. Illud autem non videtur prætermittendum, nomine Promethei facile

excitari cogitationem τοῦ πυρφόρου, quæ propterea non aliena videri possit, quod hoc loco imprudentia in eo potissimum cernitur, quod Rhodii ignem afferre obliti sunt.

V. 48. Quod Bergkius αἰθαέσσας scripsit, pro αἰθοίσας potius αἰθομένας scribi debuisse annotans, non meminit V. D. loci Sophoclei Aj. 286. λαμπτῆρες οὐκέτ' ᾖθον, quo satis defenditur αἰθοίσας.

Ceterum de causa, quæ Dissenium in hoc carmine interpretando plus quam semel in errorem induxerit, ac de carminis compositione egimus in introd. p. 98 sqq. coll. p. 130 sqq.

Olymp. VIII.

V. 53. *τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν.*

Hæc verba, quæ a Bœckhio et a Dissenio paullo artificiosius et latiore quodam sensu accipiuntur, simplicius mihi videntur sic intelligenda esse: Varia sunt studia hominum neque iisdem delectantur omnes. At ego delector victoriis canendis et virtute celebranda, quemadmodum nunc Melesiam ab invidia defendens laudabo, id quod non omnibus placet. Sic ceperunt iam scholl. vett. laudantes versum Homeri Od. ξ. 228.

ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

Sententiam de studiorum diversitate verbis variatam sæpe profert Pindarus. Ol. IX, 105. Pyth. X, 60. Nem. VII, 55. al.

V. 54. *εἰ δ' ἐγὼ Μελησίᾳ ἐξ ἀγενείων κῦδος ἀνέδραμον ὕμνῳ,*
μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος·
καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς
ἐρέω ταύταν χάριν,
τὰν δ' ἔπειτ' ἀνδρῶν μάχαν
ἐκ παγκρατίου. τὸ διδάξασθαι δέ τοι
εἰδότι ῥᾴτερον.

Diverse accipiuntur verba v. 54. ἐξ ἀγενείων κῦδος. Ambigunt, utrum sit victoria, quam Melesias alipta ipse puer reportaverit, an gloria e puerorum ab eo institutorum victoriis ei comparata. Illud Heynius et Dissenius, hoc Schmidius et Bœckhius statuerunt. Cum his ego quoque facio. Nam ut minus commode de victoria a Melesia puero reportata, quam de laude propter discipulos victores ei excitata illa verba intelligantur, faciunt versus 65, 66.

νῦν μὲν αὐτῷ γέρας Ἀλκιμέδων
νίκαν τριακοστὰν ἑλών,

quibus poeta pro more suo passim observato in eandem sententiam desinit, unde exorsus erat de Melesia dicere. Sic demum rotunda et absoluta fit argumenti tractatio. Et apta inde existit oppositio: Si quis invidet, quod pueri alipta Melesias nunc a me nominatur eique laus ex imberbium adolescentulorum victoriis comparatur, monebo, ipsum Nemeæ puerum vicisse lucta et postea virum ex pancratio. Ergo usu se probavit esse magistrum. Iam vides etiam ad εἰδότι non φυᾷ cum nonnullis, sed potius πείρᾳ esse intelligendum. Hoc unum me male habet, quod non aliqua oppositionis ratione aut alio quovis modo indicatur, Melesiæ ipsius fuisse victorias Nemeam illam et postea pancratiasticam. Sed de eo postea videbimus. Unum hic addam, v. 56. non cogitari

posse de Nemea victoria discipuli cuiusdam, verbi causa Timosthenis (v. 16), sed necessario intelligi debere victoriam Melesiæ ipsius. Illud enim si sumas, non expedies, neque ubi sit reportata, nec cuius fuerit victoria ex pancratio v. 59. Nam si hanc rursus statuas non Melesiæ, sed alius cuiusdam esse, qui Melesiæ aliptæ institutione usus sit, male rursus conveniat, hic duas tantum tresve commemorari, quum infra v. 65 totus numerus sit triginta, eorum quidem, qui ex Melesiæ præceptis vicerint. Ergo utraque victoria (vv. 56 — 59) manet Melesiæ, quanquam ægre ferendum deesse certam eius rei significationem.

Sed nova accedit difficultas ex vocabulo *μάχαν*. Nam si ibi substantivo locus est, desideratur *victoriæ*, *non pugnæ* notio. Ac iure *μάχαν* apud Pindarum de certamine gymnico legi negavit Kayserus meritoque reiecit Bœckhii structuram *κατὰ μάχαν* ac Dissenii coniecturam *μάχᾳ*. Ipse coniicit *ἀνδρῶν μέτα*, cui quis addere potuerit *μάχῃ* vel *μαχόμενος*, unde *μάχαν* in versum irrepserit; eamque coniecturam probavit Schneidewino. Mihi autem non persuasit vir doctissimus ut credam sic scripsisse Pindarum, ac dissimile est quod attulit ad firmandam illam coniecturam, Pyth. V, 98. *μάκαρ μὲν ἀνδρῶν μέτα ἔναιεν*, dissimilius etiam Nem. VII, 8. *εὔδοξος ἀείδεται Σωγένης μετὰ πενταέθλοις*. Nec vero videtur hic dici posse *ἀνδρῶν μέτα* nisi addito verbo vel substantivo. *ταύταν χάριν ἀνδρῶν μέτα* non poterit significare *hanc victoriam in certamine cum viris a viro reportatam*, nec licebit *ἀνδρῶν μέτα* coniungere cum *ἐκ παγκρατίου*, ubi *μετά* ineptum est. Et tamen recte vidit Kayserus *μάχαν* non esse ferendum. Substantivo omnino locus ibi non est. Itaque olim in mentem venit pro *ἀνδρῶν μάχαν* scribere *ἀνδρωμένῳ*, ut Euripides dixit Suppl. 703. *ἐξηνδρωμένος*. Rursus alio tempore *πάλιν*, quod minus placebat propter homœoteleuton *χάριν*. Sed magis etiam videtur desiderari aliquid, quo significentur hæ victoriæ fuisse Melesiæ et distinguantur a victoriis discipulorum. Id efficitur reposito aliquo infinitivo, ut *ἔχειν*. Cf. Ol. XIII, 37. *Πυθοῖ ἔχει σταδίου τιμάν*. Pyth. VIII, 78. *Μεγάροις ἔχεις γέρας*. Scripto igitur

καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς
ἐρέω ταύταν χάριν,
τὰν δ᾽ ἔπειτ᾽ ἀνδρῶν ἔχειν
ἐκ παγκρατίου.

construes *ἐκ παγκρατίου ἀνδρῶν* et videbis duas contigisse victorias Melesiæ, alteram imberbi, alteram viro, utramque Nemeam. Ac poteris etiam originem suspicari falsæ lectionis collato loco Pyth. I, 76 sqq. *ἀρέομαι*

πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν
μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ᾽ ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν.

Hinc puto sumtum *μάχαν* et in Ol. VIII vel lapsu memoriæ, quum notior et illustrior esset locus Pyth. I, vel a correctore vetere translatum in locum evanidi *ἔχειν*.

V. 73. *ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος*
κὰν νόμον ἐρδόμενον.

Post Schmidium Hermannus *ἐρδομένων* scripsit assentiente Kaysero. Rectius opinor Bergkius et Schneidewinus retinuerunt *ἐρδόμενον* non solum ab omnibus fere libris oblatum, sed etiam a schol. vet., qui sic explicat: *ἔστι δὲ καὶ τοῖς τετελευτηκόσιν ἔννομον καὶ δίκαιον μέρος ἀποδιδόμενον, τὸ τῶν ἐπαίνων λέγει.* Portio quæ mortuis rite persolvitur est recordatio victoriarum ab iis partarum, quod iam Heynius docuit,

quarum nunc rite fit mentio in celebratione recentissimæ victoriæ, quæ sexta est, quæ illi genti contigerat.

De carminis argumento mihi non plane convenit cum Dissenio, qui summam ad pietatis iustitiæque coniunctionem cum fortitudine redire putavit. Laudantur quidem hæ virtutes, sed illud, cui omnia fere sunt subiecta, est singularis et eximia deorum et inprimis Iovis benevolentia ac tutela, qua cum insulam, tum victoris gentem amplectuntur. Iupiter enim Blepsiadis deus gentilicius est v. 15, Iupiter utrique fratri dedit victoriam, v. 14 sqq. v. 83. Iovis oraculum Olympicum Alcimedonti victoriam promiserat v. 3. Dii sanxerunt, ut insula peregrinis esset velut arx quædam et munimentum iustitiæ et hospitalitatis v. 25 sqq. Diis et Iovi inprimis commendatur Doricæ insulæ salus et conservatio v. 28 et 86 sqq. In insula regnavit olim Aeacus Iovis filius, qui dignus habitus est ab Apolline et a Neptuno, quem socium assumerent moenibus Troiæ exstruendis, cui etiam futura filiorum ac nepotum in Troiæ expugnatione fortitudo et gloria ex Iovis portento ab Apolline prædiceretur, v. 30 sqq. Vides iam quo carminis summa redeat.

De singulis pauca addenda sunt. Quod Bœckhius et Dissenius similitudinem aliquam a poeta quæsitam existimaverunt in eo, quod Iovis oraculum Olympicum Alcimedonti promiserit victoriam v. 3, et quod oraculum Aeaco datum sit ab Apolline v. 41 sqq., mihi quidem nimium videntur egisse viri doctissimi. Solebant certaturi ni fallor oraculum Olympicum tentare de victoria fere omnes, nec tam grave fuit, ut id ab Alcimedonte aut ab eius avo factum adhibito mytho extolleretur. Aeacidarum autem Troiæ expugnatorum facta fortia ne enarraret, quod longum erat, vaticinii usus est forma et ad brevitatem et ad admirationem aptiore, ut solebat, cf. Pyth. IX, 51. Nem. I, 61. Isthm. V, 42. Narratione autem de Aeaco monstratur antiqua insulæ gloria ac splendor, postquam v. 20 sqq. præsentis temporis decora Aeginæ prædicata erant. — Ac nescio an nimium quæsiverint in Isthmi commemoratione v. 48 sqq., in qua nihil video præter exitum narrationis luculentum. Neptunum enim, quum ex Asia curru aureo in Græciam reduceret Aeacum, in sedem suam Isthmiam revertisse non magis mirum quam illud, quod Apollo in sedes sibi dilectas rediit v. 47. Contra si quis verbis *πρώτοις τε καὶ τετράτοις* v. 45. Aeginetarum adversus Medos comprobatam virtutem tacite innui dixerit, me non habebit reluctantem. Totum enim carmen sic comparatum est, ut monstrarentur Aeginetarum laudes ac merita insignia, et ut appareret, quam digna esset insula, quam dii tuerentur, cuiusque salus etiam Græcis cordi esset, quemadmodum saluti illis gloriæque fuisset. Idque duabus de causis maxime opportune tum fiebat, primum quod illo tempore (Ol. 80) Aeginetis periculum ab Atheniensibus imminebat, de qua re Bœckhius exposuit in expll., deinde quod Olympiæ carmen canendum erat in maxima Græcorum, inprimis Doriensium, frequentia, quibus insulam commendavit poeta.

Nam cantatum est carmen Olympiæ. Nihil agit schol. cantatum dicens Aeginæ propter v. 51. *ἀποπέμπων Αἰακὸν δεῦρ᾽ ἂν ἵπποις χρυσέαις.* Olympiæ cantatum voluerunt Bœckhius et Dissenius propter v. 9. *ἀλλ᾽ ὦ Πίσας εὔδενδρον ἐπ᾽ Ἀλφεῷ ἄλσος τόνδε κῶμον καὶ στεφαναφορίαν δέξαι.* Quanquam de hac re paullo accuratius agendum est. Nam poterat quidem Olympia (vv. 1, 2) invocari, licet non Olympiæ caneretur; verum Pisæ nemus, quod iubetur benigne accipere comissationem et coronæ oblationem, quippe quam vovisset victor, non potest translate et figurate, sed debet

vere ac proprie intelligi. Accedit etiam quod ea, quæ de Aegina dicuntur v. 20 — 22: *Αἴγιναν πάτραν· ἔνθα Σώτειρα Διὸς ξενίου πάρεδρος ἀσκεῖται Θέμις ἔξοχ᾽ ἀνθρώπων*, sic proferuntur, ac si non Aeginæ sed alibi dicantur. At si Olympiæ cantatum est, quæritur non solum quomodo v. 51 potuerit dici *δεῦρο*, sed etiam, quod quærere omiserunt interpretes, quomodo v. 25. *τεθμὸς δέ τις καὶ τάνδ᾽ ἁλιερκέα χώραν*, in quibus verbis *καὶ τάνδε* Aeginæ cantatum videtur postulare. Ac de *δεῦρο* quidem minor est difficultas, quod Aeacus, quum Troiæ cum Neptuno versatus esset, a Neptuno ex Asia remota *huc* advectus dicitur, i. e. non Aeginam, sed *in has regiones*, in Græciam. Iam *καὶ τάνδε* non tam dixit, quod Aeginam modo (v. 20) nominaverat, quam propterea, quod Aeginetæ comissationi et coronæ oblationi intererant, carmenque canebatur inter Aeginetas adstantes et comitantes, quorum in tanta loci vicinia magnam sane multitudinem Olympiæ affuisse consentaneum est.

Olymp. IX.

V. 109 sqq. *ὄρθιον ὤρυσαι θαρσέων,*
τόνδ᾽ ἀνέρα δαιμονίᾳ γεγάμεν
εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ᾽ ἀλκάν,
Αἰαντεόν τ᾽ ἐν δαίθ᾽ ὃς Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν.

Sic Bœckhius. Hermannus ad Eurip. Iph. A. 1127. correxit *ὁρῶν τ᾽ ἀλκὰν Αἰαντέων ἐν δαιτὶ Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν.* Unde sumto *Αἰαντέων* Kayserus mavult: *ὁρῶντ᾽ ἀλκάν, Αἰαντέων ἐν δαιτὶ ὅτ᾽ Ἰλιάδα κτέ*, adhibita in *δαιτὶ ὅτ᾽* synizesi. In Hermanni emendatione hoc maxime displicet, quod ex epithetis *εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ᾽ ἀλκάν*, quæ tria sic posita præclare ornant victorem, ægre feras si unum alterumve constructione mutata splendidæ seriei eximatur. Quod vitavit quidem Kayserus, sed intulit *ὅτε*, quasi epitheta tria illa tum maxime in victorem incidissent, quum victor Aiacis aram coronaret. Quod si esset, posses suspicari *ὁρῶντ᾽ ἀλκὰν Αἰαντέαν, ἐν δαιτὶ ὅτ᾽ Ἰλ.* Maxime autem obest *δαιμονίᾳ*, quod respondens iis, quæ v. 100 sqq. dicuntur: *τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν κτέ.* de robore et virtute durante ac semper in Epharmosto conspicua, non brevi alicuius actionis spatio emicante, cogitare nos iubet. Contra servato pronomine *ὅς*, quod quin genuinum sit post Bœckhii annot. crit. dubitare non licet, sententia fit perfectior, quum hoc dicatur: Pronuncia audacter, deorum maxime munere hunc virum esse membrorum et oris tanta præstantia, qui die festo Aiacis aram victor sertis cinxit, qua sententia carmen apte clauditur. Ergo scripserim:

ὁρῶντ᾽ ἀλκάν,
Αἰαντέων ἐν δαιτὶ ὃς Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν.

Sic iam ante hos tres annos in adversariis scripseram. Nunc autem Schneidewinus dedit:

Αἰαντέων τ᾽ ἐν δαίθ᾽ ὃς Ἰλιάδα κτέ.

Et hoc fortasse rectius, quod pro synizesi *ἐν δαιτὶ* elisionem statuit *ἐν δαίθ᾽*. (Quam ob rem nunc Nem. X, 15. *ἐναρόνθ᾽ οἱ ὄψιν* scripserim. Vid. Comment. part. I, p. 31.) Parum autem recte *τ᾽* servavit post *Αἰαντέων*, quam particulam fulcrum esse positionis efficiendæ statim id prodit, quod libri nonnulli, ut Vratt. A, B pro ea præbent *γε.*

Denique structura, quæ τε servato languide serpit, alacrius et fortius procedit, quum ὅς ad τόνδ' ἀνέρα respiciat. — Ceterum de compositione huius carminis diximus in introd. p. 141 sqq.

Olymp. X.

V. 1. *Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλείστα*
χρῆσις, ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων.

Sententia per se aperta et simplex est. Sed aliena quæsivit Dissenius poetam a ventis ordiri docens propter instantem navigationem Agesidami in patriam redituri. Sic iure mireris, cur etiam de pluviis addat, quibus nihil commune cum navigatione. At nihil nos cogit in ventorum utilitate de navigatione tantum cogitare, quorum pluribus in rebus utilitas cernitur. Cf. v. c. Bacchylidis epigramma Schneidew. Delect. p. 450. Bergk. poett. p. 832.

Εὔδημος τὸν νηὸν ἐπ' ἀγροῦ τόνδ' ἀνέθηκεν
τῷ πάντων ἀνέμων πιοτάτῳ Ζεφύρῳ,
εὐξαμένῳ ὅ οἱ ἦλθε βοαθόος, ὄφρα τάχιστα
λικμήσῃ πεπόνων καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων.

Olymp. XI.

Diu se debere Agesidamo carmen promissum poeta significat metaphora elegantissima. In animo, tanquam in tabulis, debitum inscriptum est. Iubet afferri tabulas et recitari nomen illud. Videt præteriisse diem solvendo præstitutum et neglectum oblivione mentis. Timet reprehensionem fidei non sine pudore, præsertim quum debeat civi Locrensi Epizephyrio, quorum civitas ob conventorum fidem ac solvendi diligentiam in mercatoriis puto rebus laudabatur v. 13. *νέμει γὰρ ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν Ζεφυρίων*. Solet tamen usura soluta satis valere saltem ad ignominiam tollendam, ac meditatur poeta totum debitum, quod se scit facile effecturum, caput cum usura persolvere una, ita ut gratia vetus inter amicos redeat. Verba Bœckhius ex Hermanni emendatione sic edidit:

V. 9. *ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφὰν τόκος ὀνάτωρ. νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν*
ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον;
ὅπα τε κοινὸν λόγον
φίλαν τίσομεν ἐς χάριν;

In libris v. 9. est *τόκος ἀνδρῶν*, vel *τόκος θνατῶν*, deficiente syllaba brevi, unde Hermannus ingeniosissime coniecit *τόκος ὀνάτωρ*. Dubitat tamen de hac coniectura Kayserus, qui, quum Pal. C. præbeat *ἐπιμομφάν γε τόκος* et schol. vet. in lemmate *ὅμως δέ γε λῦσαι δυνατός*, scripsit *γε τόκος ἀνδρῶν*, choreutas vocabulo *ἀνδρῶν* significari existimans. Cui rationi quid obstaret, satis declaravit Schneidewinus in censura Ephem. Jenens. m. Dec. 1843, ceterum merito laudans Kayserum, qui primus

docuerit *κοινὸν λόγον* esse summam pecuniæ debitæ. Caput cum usura equidem intellexerim. Sed me tamen fateor adhuc hærere in verbis sequentibus, quæ planiora essent, si pro *ὅπα* utroque loco scriptum esset *πᾶ*, aut si liceret cum Scholl. et Bœckhio nott. critt. subintelligere *ἴδωμεν*, *σκοπήσωμεν*, *θεωρήσωμεν*, vel simile quid ante *νῦν*. At vix licet. Itaque suspicor sub vocabulo illo incerto *ἀνδρῶν* vel *θνατῶν* latere aliud vocabulum, a quo quæ sequuntur pendeant, quale sit *ἄθρει*. Unde *γε* minime otiosa particula assumta e Pal. C sic scribam:

ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφάν γε τόκος. ἄθρει νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν
ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον,
ὅπα τε κτέ.

„Reprehensionem saltem acrem tollere valet usura. Specta nunc, ut lapillum volutatum sublatura sit unda fluens, et ut caput una cum usura soluturi simus in gratiam iucundam, i. e. ad reprehensionem fugiendam usura soluta sufficiat, sed ampliora præstabimus. Persoluto enim toto simul debito etiam gratiam inibimus.“ Ita verba *ψᾶφον ἑλισσομέναν — ῥέον* comparationem efficiunt, neque in vocabulo *ψᾶφον* cum Schneidewino cogitandum de calculo computantium, sed de lapillo, quem facile auferat undarum vis. Significat igitur sibi non maius fore negotium solvere debitum ac removere vituperationem, quam undæ auferre lapillum. Sed præmisit sententiam, in qua comparatio est, illi rei, cuius causa comparatio instituta est, quod sæpe fit apud Pindarum, ut Ol. II, extr. *ἐπεὶ ψάμμος κτέ.* Ceterum de *ἄθρει* cf. Eurip. Alc. 1105. *ἄπεισιν εἰ χρή· πρᾶτα δ' εἰ χρεὼν ἄθρει.*

Locum depravatissimum v. 25 iam attigimus Comm. Part. I, p. 31, sed nunc denuo tractandus est, quum videam ex parte tantum Bergkio assentiendum esse. Verba græca sic leguntur vulgo, ubi versus 25 a Triclinio contra metrum ineptissime interpolatus est:

ἀγῶνα δ' ἐξαίρετον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν Διός, ὃν ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος
25. *βίῃ Ἡρακλέος ἐκτίσσατο,*
ἐπεὶ Ποσειδάνιον — — — (v. 30.) *Ἡρακλέης.*

Libri præbent *βωμὸν* (vel *βωμῷ*) *ἑξάριθμον Ἡρακλέης ἐκτίσσατο.* Primus Kayserus rectissime vidit genuinum esse *ἑξάριθμον*, quod e scholiis atque inde cognoscitur, quod ex *ἑξάριθμον* glossema profectum est *βωμόν.* Putabatur enim *ἑξάριθμον* de sex aris geminis intelligendum esse, de quibus vid. Ol. V, 5. At recte Kayserus: „*ἑξάριθμον* ad *ἀγῶνα* pertinet, qui Pindaro ipso auctore sex generibus tum constabat, „stadio, lucta, pugilatu, quadrigis, iaculo, disco. Cf. infra v. 67 — 75.“ Post *ἑξάριθμον* metro prorsus convenienter sequitur *ἐκτίσσατο*, pro quo, si displiceat medium, possis e schol. sumere *ἐσκεύασεν.* Sed hoc prosæ orationis potius est, et *ἐκτίσσατο* propterea verum videtur, quia vix credibile est in rarissimam verbi formam mediam criticorum veterum aliquem incidisse. Kayserus quidem *ἐκτίσσατο* reiecit, sed displicet quod in eius locum substituit *Ἡρακλέης*, quia paullo post v. 30 idem nomen redit. Quod si *ἑξάριθμον ἐκτίσσατο* verum sit, quum iambus ante hæc verba desit, quæritur quo vocabulo ille commode expleatur. Atque Bergkius versum totum sic scripsit: *πατὴρ ἑξάριθμον ἐκτίσσατο*, *Iuppiter iussit filium certamina Olympia instituere.* Sed plura sunt, quæ dubitationem iniiciant, ex quibus unum affero, propter nomen *Διός* paullo ante commemoratum minus aptum hic esse *πατήρ.* Verum alio ducere videtur ipsum vocabulum *ἑξάριθμον.* Nam quum postea certaminum genera constet varie mutata et singula, ut in quinquertio factum, coniuncta esse (vid. Bœckh. expll.

p. 202 et 486), quumque sic ætate posteriore etiam numerus certaminum mutatus sit, apparet Pindarum hic tradere voluisse, qui fuisset ab initio numerus certaminum ab Hercule institutus et quæ certandi ratio. Itaque hic quidem *ἀγῶνα ἑξάριθμον* nominavit et postea (v. 60 — 73) singulatim de certaminibus exposuit. Unde certissime colligitur, periisse significationem temporis antiquissimi et initii, quod oppositum esset illi rationi, quæ Pindari ætate constabat. Quare suspicor fuisse:

τὰ πρῶθ᾽ ἑξάριθμον ἐκτίσσατο.

Iam patet a correctoribus antiquissimis, qui, quo *ἑξάριθμον* pertineret, non perspicerent, impositum esse ineptum *βωμόν*, cui facile cessit *τὰ πρῶθ᾽* minus scilicet necessarium. *Ἡρακλέης* denique glossa est e v. 30 margini adscripta, ne de subiecto dubitatio esset.

Sed nunc quidem hactenus, verum enim est, quod Ol. XIII, 47. legitur:

ἕπεται δ᾽ ἐν ἑκάστῳ
μέτρον· νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.

ERRATA.

P. 15 lin. 5. pro *defungeretur* lege *defungerentur*; ibid. in infima p. bis leg. *παροιχόμενον*. — p. 17 l. 16. leg. *perperam*. — p. 18 l. 3. ab inf. leg. *eandem*.

In comm. part. I. in præmonendis lin. ab inf. 4. leg. *viro docto*. — p. 3 lin. ab inf. 7. lege *tripudiantis*. — p. 7 lin. antepenult. post *in quo* excidit *in libris*.
